

# BANDVALIS CALLAICVS

LITTERAE GALLAECI PVERI AD POSTEROS



Xaberrius Faseolus

IES RICARDO MELLA



# SVMMARIVM

|                                                             |       |
|-------------------------------------------------------------|-------|
| XABERRIVS FASEOLVS CARIS DISCIPVLIS S.D.P.....              | V     |
| VOS QVI NVMQVAM.....                                        | VI    |
| PRAEFATIO.....                                              | XI    |
| I. SALVTATIO.....                                           | XI    |
| II. INTRODVCTIO.....                                        | XI    |
| NOTITIA ANTIQVITATIS I.....                                 | XII   |
| GALLAECIA PROVINCIA ROMANA.....                             | XII   |
| NOTITIA ANTIQVITATIS II.....                                | XIV   |
| DECIMVS IVNIVS BRVTVS CALLAICVS ET FLVMEN OBLIVISIONIS..... | XIV   |
| NOTITIA ANTIQVITATIS III.....                               | XV    |
| DE MORTE VIRIATHI.....                                      | XV    |
| GRAMMATICA I.....                                           | XVI   |
| Breviter de pronuntiatione.....                             | XVI   |
| Accentus.....                                               | XVII  |
| Formulae salutationis.....                                  | XVIII |
| Formulae discessionis.....                                  | XVIII |
| Nomina et epitheta.....                                     | XVIII |
| Descriptio nominum et epithetorum.....                      | XVIII |
| Alia exempla declinationis nominum et epithetorum.....      | XIX   |
| Qui casus sunt? Poterisne deducere?.....                    | XIX   |
| Pronomina personalia (Nominativus casus).....               | XIX   |
| Verba actionis aut status.....                              | XIX   |
| Descriptio verborum actionis aut status.....                | XIX   |
| Sum, esse (copulativum verbum status).....                  | XX    |
| Habitō, habitare (coniugatio I).....                        | XX    |
| Alia exempla coniugationis.....                             | XX    |
| EXERCITATIONES I.....                                       | XXII  |
| I. Complete.....                                            | XXII  |
| II. Compleatisne aptis terminationibus?.....                | XXII  |
| III. Latine scribite.....                                   | XXIII |
| IV. Latine respondite ut melius potestis.....               | XXIII |

|                                                              |         |
|--------------------------------------------------------------|---------|
| V. Indagationes.....                                         | XXIV    |
| VI. Indagationes etymologicae.....                           | XXIV    |
| LINGVA LATINA HODIERNA I.....                                | XXV     |
| QUOMODO SALUTEMUS? .....                                     | XXV     |
| QUID EST “ALIQUEM ALICUI PRAESENTARE”? .....                 | XXVI    |
| QUID SI EXERCITAMUS PRAESENTATIONES? .....                   | XXVII   |
| FABVLAE LATINAE FACILES APVD IGNEM LARARIVM AVDIENDAE I..... | XXVIII  |
| THESAURVS IN INSULA AVNIO .....                              | XXVIII  |
| Quaestiones ad comprehensionem narrationis confirmandam..... | XXIX    |
| QVAE ET QVALES SVNT MAVRAE? .....                            | XXIX    |
| Quaestiones ad comprehensionem narrationis confirmandam..... | XXX     |
| QVAE SVNT MAMMVLAE TERRENAE?.....                            | XXX     |
| Quaestiones ad comprehensionem narrationis confirmandam..... | XXXI    |
| PRIMA PARS.....                                              | XXXII   |
| QVOMODO GALLAECI VITAM AGIMVS (I)? .....                     | XXXII   |
| I. VRBICVLAE ET CASAE.....                                   | XXXII   |
| II. ALIAE DOMVS AEDIFICATIONESQVE .....                      | XXXIII  |
| III. PLVRA DE CASIS NOSTRIS.....                             | XXXIII  |
| GRAMMATICA II .....                                          | XXXV    |
| Formulae interrogationis responsionisque .....               | XXXV    |
| Nomina et epitheta.....                                      | XXXVI   |
| Alia exempla declinationis nominum epithetorumque .....      | XXXVII  |
| Qui casus sunt? Poterisne deducere? .....                    | XXXVII  |
| Epitheta.....                                                | XXXVII  |
| Enuntiatio nominum epithetorumque .....                      | XXXVII  |
| Concordantia .....                                           | XXXVIII |
| Pronomina personalia.....                                    | XXXVIII |
| Pronomina demonstrativa vel <i>deictica</i> .....            | XXXIX   |
| Verba actionis aut status.....                               | XL      |
| Sum, esse, fui.....                                          | XL      |
| Habito, habitare, habitavi, habitatum (coniugatio I).....    | XLI     |
| Habeo, habere, habui, habitum (coniugatio II).....           | XLI     |
| Scribo, scribere, scripsi, scriptum (coniugatio III) .....   | XLI     |
| Munio, munire, munivi, munitum (coniugatio IV).....          | XLII    |
| Alia exempla coniugationis .....                             | XLII    |
| EXERCITATIONES II .....                                      | XLIV    |

|                                                                    |         |
|--------------------------------------------------------------------|---------|
| I. Declinationes complete.....                                     | XLIV    |
| II. Nisi concordantia recta est, corrigite.....                    | XXXVI   |
| III. Eligite verba apta ad orationes implendas .....               | XXXVI   |
| IV. Compleatisne aptis terminationibus? .....                      | XXXVI   |
| V. Quid si temptatis haec verba <i>analytice</i> describere? ..... | XXXVI   |
| VI. Latine scribite .....                                          | XXXVI   |
| VII. Latine respondite (post textus lectionis denuo lectos) ....   | XXXVIII |
| VIII. Indagationes.....                                            | XXXIX   |
| IX. Indagationes etymologicae.....                                 | XL      |
| NOTITIA ANTIQVITATIS IV .....                                      | XL      |
| DE COQVO APICIO .....                                              | XL      |
| LINGVA LATINA HODIERNA II.....                                     | XLI     |
| Vbi habitamus?.....                                                | XLI     |
| APPENDIX GRAMMATICALIS.....                                        | XLII    |
| FABVLAE LATINAE FACILES APVD IGNEM LARARIVM AVDIENDAE II .....     | XLIV    |
| RESTIS IN ANGVEM MVTATA .....                                      | XLIV    |
| Quaestiones ad comprehensionem narrationis confirmandam....        | XLV     |
| BAVCIS ET PHILEMON IN ARBORES MVTATI .....                         | XLVI    |
| Quaestiones ad comprehensionem narrationis confirmandam...         |         |
| .....                                                              | XLVIII  |
| FABVLA DE ANTELA PALVDE .....                                      | XLVIII  |
| Quaestiones ad comprehensionem narrationis confirmandam.....       | L       |
| NOTITIA ANTIQVITATIS V .....                                       | L       |
| CHRISTIANI IN GALLAECIA .....                                      | L       |
| NOTAE AD AMPLIVS SCIENDVM.....                                     | LIII    |

# XABERRIVS FASEOLVS CARIS DISCIPVLIS

S.D.P

Hic liber, quem lecturi estis, historiam, vel potius dicam *fabulam*, de puero Gallaeco Romano, Banduale Callaico appellato, narrat. Bandualis puer imaginarie tantum vivit. Immo vivit et culturam Romanam vobis transferet.

Bandualis Diocletiano regnante in Gallaecia vixit. Sic appellata est nova provincia Romana in Hispania. Quare? Gallaeci vel Callaici (eaedem gentes sunt) septentrionales atque occidentales populi Hispani fuerunt. Sic a Graecis Romanisque appellati sunt. Sic etiam hodie a vobis appellantur.

Nobis constat, finito saeculo III post Christum natum, Romanum cultum humanitatemque longe lateque diffusum per omnem Gallaeciam fuisse. Plurimae quidem evidētia supersunt, ut, exempli gratia, reliquiae archaeologicae, plurimi scripti antiquorum auctorum et plurimae inscriptiones, quarum rerum perventia haud dubium est quin Romani in Gallaecia fuerint. Tandem Romanicas linguas habemus heredes. Ecquid plura opus erit?

Hodierna Gallaeca lingua Latinae linguae filia esse dicitur. Idem atque Hispanica, Catalaunica, Lusitanica et aliae plurimae. Vestra igitur interest origines radicesque linguarum, quibus loquentes utimini, nosse. Hac de causa studia Latina in Secundariae Doctrinae Institutis incipiunt. Ecquid enim melius quam reperire Latinam linguam a nativi pueri manibus ducti?

In hoc libro methodum invenietis ad Latinam linguam discendam. Hic legetis fabulas historicasque narrationes et grammaticam atque haud minimas exercitationes certe invenietis. Vtinam nostro libro fruimini!

Bene valeatis.

# VOS QVI NVMQVAM...

... linguam Latinam aut legistis aut audivistis, attendite:

- I. Lingua Latina Indoeuropaea lingua est, familiae Italicae.
- II. Hae sunt linguarum Indoeuropaearum familiae:
  - a. Anatolica
  - b. Indoiranica
  - c. Graeca
  - d. Italica
  - e. Celtica
  - f. Germanica
  - g. Armenica
  - h. Tocharica
  - i. Baltoslavica
  - j. Illyrica
- III. Linguae Romanicae linguae Latinae filiae sunt.
- IV. Hae sunt aliquot e linguis Romanicis:
  - a. Sarda
  - b. Romanica
  - c. Italiana (vel Tusca)
  - d. Neapolitana
  - e. Sicula
  - f. Gallaica
  - g. Lusitana
  - h. Hispanica
  - i. Aragonica
  - j. Asturiana
  - k. Raetoromanicae linguae
  - l. Francogallica
  - m. Catalana
  - n. Occitanica
- V. Ergo lingua Hispanica et Gallaeca linguae Latinae filiae sunt. Sed filiae sunt linguae Latinae vulgaris (filiae igitur sermonis vulgaris vel plebei).
- VI. At mater et filias nimis dissimiles sunt, in primis *morphologiae* et *syntaxis* causa. Deinde in verborum constructionis ordine. Tandem pronuntiatio et *lexeis* paulum differunt.
- VII. Ludum faciamus ut videamus si quid linguae Latinae intellegatis, qui linguae Latinae imperiti estis. Legite initium *Genesis* liber (lingua Latina *christiana* scriptum).

In principio creavit Deus caelum et terram. Terra autem erat inanis et vacua et tenebrae super faciem abyssi et spiritus Dei ferebatur super aquas dixitque Deus fiat lux et facta est lux et vidit Deus lucem quod esset bona et divisit lucem ac tenebras...

VIII. Nunc legite hunc *Satyrici* Petronii textum <sup>1</sup>:

Persuadeo hospitem nostrum ut mecum ad quintum miliarium veniat. Erat autem miles, fortis tamquam Orcus. Luna lucebat tamquam meridie. Venimus inter monimenta: homo meus coepit ad stelas facere; sedeo ego cantabundus et stelas numero. Deinde ut respexi ad comitem, ille exiit se et omnia vestimenta secundum viam posuit. Mihi anima in naso esse; stabam tamquam mortuus.

IX. Nunc paulum videamus Apicii *De re coquinaria* <sup>2</sup>.

Vt carnes sine sale quovis tempore recentes sint: carnes recentes quales volueris melle tegantur, sed vas pendeat et, quando volueris, utere.

X. Et quid si legetis exordium *Itinerarii* (vel *Peregrinationis*) Egeriae <sup>3</sup>?

Vallis autem ipsa ingens est valde, iacens subter latus montis Dei, quae habet forsitan, quantum potuimus videntes aestimare aut ipsi dicebant, in longo milia passos forsitan sedecim, in lato autem quattuor milia esse appellabant. Ipsam ergo vallem nos traversare habebamus, ut possimus montem ingredi.

---

<sup>1</sup> s. I p.C.n. (post Christum natum)

<sup>2</sup> s. IV-V p.C.n.

<sup>3</sup> s. IV p.C.n.

- XI. Legite nunc excerptum de Benedicti *Regula monachorum* <sup>4</sup>.

Vestimenta fratribus secundum locorum qualitatem, ubi habitant, vel aerum temperiem dentur, quia in frigidis regionibus amplius indiget, in calidis vero minus.

- XII. Et nunc fragmentum inscriptionis funebris (*orthographia* et textu leviter accommodatis), e Monastir (Macedonia).

...Hic iaceo qui vixi annis quinquaginta et militavi annis XXX et sum natus in provincia Dacia et militavi inter equites... Aurelia coniunx posuit titulum benemerenti caro marito suo. Resta viator et lege titulum nostrum. Dum legis et repausas.

- XIII. Alia inscriptio funebris modice relecta, e Lugduno.

Maspetia Silvina Valerio Messori coniugi incomparabili qui plus merebatur quam facio, cum *quem* vixi annis XXIII... Valerius Silvicola et filia fluentes lacrimis orphantatem, qua perdierunt patrem incomparabilem...

- XIV. Legamus tandem textum de fluminibus Latina lingua scriptum, sed lingua reapse vulgari <sup>5</sup>.

Flubius Minon nascit prope Pereneum in rotunditate vertitur, ut Vegratium oppidum maritimum includit, et sic in oceanum mare precipitat et currit milia cccxii.

---

<sup>4</sup> s. VI p.C.n.

<sup>5</sup> In *Cosmographia* Iulii Honorii (s. VI ? p.C.n.) legitur: Fluvius Minio nascitur prope Pyrenaeum. In rotunditate vertitur, ut Brigantium oppidum maritimum includat, et sic se in oceanum occidentalem recipit.

- XV. Historia linguae Latinae longa est. Nobis incipit cum antiquissimis inscriptionibus et, quoniam hodie adhuc Latine scribitur, nondum finivit.
- XVI. Textus Latini plurimi supersunt. Sola vita unius hominis ad omnes textus legendos non sufficit.
- XVII. Oro tandem ut textum inferiorem legatis et nobis dicatis ecquid intellegatis an non.

Faustulus pastor in fluvii ripa duos infantes quondam invenit. Imaginamini nunc scaenam quam Faustulus videt. Nam lupa duos infantes nutrit. Sic lupa tamquam *mamma* infantibus est. Infantes *mammam* (id est, matrem) habent, et mater lupa est. Auditisne? Lupa est tamquam mater infantium.

Faustulus tunc domum venit. Domus parva casa est. Melius dicam. Parva domus casa est. Ibi cum uxore Acca Larentia habitat. Faustulus visionem lupae cum infantibus Accae Larentiae narrat et Acca Larentia infantes videre vult.

Cum Faustulus et Acca Larentia ad ripam fluvii veniunt, lupam repellunt et infantes recipiunt. Infantes gemini sunt. Faustulus et Acca Larentia Romulum et Remum eos appellant.

Et vos, scitisne qui Romulus et Remus re vera fuerint?




<https://commons.wikimedia.org/wiki/file:gallaecia-dioclecianus.png>

# PRAEFATIO

## I. SALVTATIO

**Salvete** omnes, pueri puellaeque qui olivariam urbem habitatis! <sup>6</sup> Salvete omnes qui linguam Latinam **discere** vultis! <sup>7</sup> Salvete discipuli discipulaeque qui in XX saeculo iam vivitis! Salvete dilecti amici posteritatis!




Oliva

Mihi nomen est Bandualis Callaicus, Bandualis Callaici filius <sup>i</sup>. Ego Romanus puer sum, **XV** annos natus <sup>ii</sup>, sed etiam Gallaecus puer sum. **Pater** meus Gallaecus est. **Mater** mea Gallaeca est. **Parentes** igitur mei Gallaeci sunt, sed etiam Romani sunt.

Quomodo esse potest? Quomodo fieri potest ut ...? Quomodo Gallaecus et Romanus una esse possum? **Aures arrigite**. Hoc aevo in quo ego vivo omnes Gallaeci simul et Romani iam sunt. Non omnes Romani evidenter Gallaeci sunt, verum etiam omnes Gallaeci nunc Romani sunt.

Si de nostra historia, **scilicet** de historia Gallaecorum, paulo magis cognoscere vultis, **legendo operam dare pergite**.



Puer legit

Si de Roma plura nosse vultis, *Notitias ad amplius sciendum* **legite** <sup>iii</sup>.

*salvete* = bonam salutem habeatis

Hispanice : *¡hola!*

*discere* = ant. *docere*  
magister docet et discipulus discit

*XV* = quindecim vel decem et quinque

*pater et mater* = parentes  
Anglice : *parents*

*aures arrigite* = attente audite

*scilicet* = id est

*legendo operam dare pergite*  
= amplius **legite** vel attente plura legite

*legite* : imperativus verbi actionis *legere*

<sup>6</sup> Vrbs quae hodie Hispanice Gallaecaeque *Vigo* nuncupatur.

AV<sup>7</sup> Discipuli qui hodie quartum cursum secundariae necessariae meditamini.



Locus ubi Bandualis habitat. **Pictura** ab Alicia Colmenero Fernández facta.

*pictura* = imago alicuius,  
tabula picta vel imago  
photographica

# NOTITIA ANTIQVITATIS I

## GALLAECIA PROVINCIA ROMANA

Aevum quo scribo *posterior antiquitas* quo tempore vos vivitis appellatur. Tarda antiquitas Romana vel Imum Imperium Romanum **appellatur**.

*antiquitas* : antiquam  
aetatem Romanam  
antiquitatem appellatis  
*appellatur* : nomen dant

Anno Domini CCXCVIII<sup>iv</sup> in urbicula Gallaeca cum parentibus et **sororcula** vivo supra mare, in occidentali litore sita. Sed primum hoc nosse debes.

*sororcula* : parva **soror**  
*soror* : femina ex eisdem  
parentibus nata atque ego

Gallaecia in Hispania est. Gallaecia provincia Romana in Hispania est, nam quinque sunt provinciae Romanae eo tempore quo hic habito, Diocletiano et Maximiano Augustis, id est, Diocletianus et Maximianus imperatores vel regentes. Diocletianus Augustus Orientis et Maximianus Augustus Occidentis est.



*Hispania* : Paeninsula  
Iberica vel Graece *Iberia*

Gallaecia et Lusitania occidentales provinciae sunt. Tarraconensis, Carthaginensis et Baetica orientales provinciae sunt.

Antiqui Romani Gallaeciam, Tarraconensem et Carthaginensem provinciam Hispaniam Citeriorem **appellant** (vel potius dicam, *appellaverunt*), sed Lusitaniam et Baeticam provinciam Hispaniam Vltiorem appellant.

*appellant* = praesens tempus  
*appellaverunt* = praeteritum  
tempus

Ceterum in Gallaecia tres **conventus** sunt, scilicet, Bracarensis, Asturicensis et Lucensis. Tres sunt capitales

*conventus* = divisio  
administrativa provincialis

conventuum urbes. Bracara Augusta, Asturica Augusta et Lucus Augusti. **Mappam** supra conspice, quaeso.

*mappa* = tabula geographica picta

Primus qui in Gallaeciam dux Romanus venit, Decimus Iunius Brutus est, Callaicus cognomine. Is cum exercitu Lusitanos et Gallaecos vincit saeculo II ante anno Domini<sup>8</sup>. Hoc est initium Romanae **expugnationis** Hispaniae septentrionalis. Hoc est initium Romanae dominationis et Romani imperii in Hispania occidentali. Hoc

*expugnationis* ab *expugnatio*  
= dominatio per arma



[Las provincias hispanas durante el Bajo Imperio Romano \(S IV-V d.C.\) \(lacrisisdelahistoria.com\)](http://lacrisisdelahistoria.com)

initium urbanitatis vel, ut ita ficto verbo dicam, *civilizationis*. Dehinc Gallaeci mores Romanos imitatur, id est,

<sup>8</sup> Liceat nobis, quaeso, chronologia XXI saeculi uti ad annorum digestionem, ita ut referamus annos ante vel post Dominum Christum natum. Sic enim si dicam *anno Domini* intellegi oportet annum post mortem Iesus Christi (abbreviato: a. D., id est, p.C.n.). Si dicam *ante anno Domini* annum ante Christum natum intellegatis (a.a.D., id est, a.C.n.). Meminisse necesse est Romanos temporalem notationem aliter quam vos describere, ut bene legatis in *Notae ad amplius sciendum IV*.

nunc Gallaeci more et exemplo populi Romani vivimus,  
nam Romani partim certe sumus <sup>9</sup>.

## NOTITIA ANTIQVITATIS II

### DECIMVS IVNIVS BRVTVS CALLAICVS ET FLVMEN OBLIVISIONIS

Annus CXXXVII a. a. D. **maximi momenti** est Gallae-  
cis. Dehinc Romani, victis Lusitanis mortuoque iam Viria-  
tho, Gallaeciam expugnare incipiunt, auri metalla cupi-  
entes.

*maximi momenti* = res  
magnae gravitatis

Fabula quaedam **traditur** de timore militum Decimi  
Iunii Bruti in Gallaeciam advenientium. Cum Decimus  
Iunius Brutus cum exercitu ad flumen Limiam pervenit,  
milites transire nolunt. Milites enim Limiam Lethem <sup>10</sup>  
flumen, id est, flumen oblivionis, esse credunt.

*traditur* = narrant

Lethe, apud Graecos et Romanos, flumen inferum vel  
regionis mortuorum est. Mortui transire debent Let-  
hem antequam Inferos <sup>11</sup>  
intrent. Transito flumine,  
mortui omnia de vita sua  
**obliviscuntur** <sup>12</sup>.



Milites flumen transire  
nolunt

Tunc demum ad persua-  
dendos milites Decimus Iuni-  
us Brutus flumen transit solus  
et ripa contraria eorum nomi-

*obliviscuntur* = qui non  
meminerunt vel qui  
memoriam non habent

---

<sup>9</sup> Romanus quidam maxime studiosus nomine Plinius vocatus Gallaecos in diversos populos dividit. De hac re infra amplius legere poteritis in *Fontibus Antiquis* [in futuris editionibus].

<sup>10</sup> Lethem vel Lethaeum.

<sup>11</sup> *Inferi*, id est, mundus sub terras ubi mortui habitant.

<sup>12</sup> In mytho Graeco, mortui aquas Lethaeas bibunt ad vitam suam obliviscendam.

ne **centuriones** nominat singulos. Sic dux Romanus militibus Limiam aliud quam Lethem flumen esse monstrat.

## NOTITIA ANTIQVITATIS III

### DE MORTE VIRIATHI

Romani fabulas amant. Pleraeque fabulae de historicis *personis* nobis loquuntur. Sed gesta eorum in fabulis historia ficta **fit**.

**Vos meminisse velimus** alicuius grammaticalis rei. Attendite! Nomen *fabula* et verbum dicendi *fabulor* in radicibus similia sunt. A *fabulor* (inf. <sup>13</sup> *fabulari*) ne dicendum quidem est quin Hispanice *hablar* et Gallaece *falar* habeatis.

Est quidem fabula antiqua atque divulgatissima de morte Viriathi, ducis Lusitanorum, in qua consul Quintus Servilius Caepio, dux Romanus adversus Lusitanos, inimicis Lusitanorum tribus, Audaci, Minuro et Ditalco, si Viriathum **necaverint** magna praemia promittit.

Audax, Minurus et Ditalcus divitiarum avidi Viriathum necare constituunt et sic, dum dux Lusitanorum dormit, **necatur**.

Cum tres Lusitani scelesti pro scelere praemia a Caepione exigunt, consul ad postulatam eorum respondet: "Numquam Roma proditoribus praemiatur", eosque dimittit.

Verumne an falsum? **Minime nostra refert!**

At fabula monstrat saltem quomodo tres sicarii Lusitani perduellionis avaritiaeque causa **tum** sine duce **cum** sine praemiis fuerunt.



Centurio Romanus

*fit* = est

*vos meminisse velimus* =  
bene erit si meminervis =  
bene est scire  
*velimus* : volumus,  
cupimus, speramus...

*necaverint* = si quondam  
necant  
*necare* = aliquem vita  
privare

*necatur (Viriathus)* =  
Viriathum aliquis necat

*minime nostra refert* = parvi  
momenti nobis est

*tum ... cum* = et ... et

---

<sup>13</sup> inf. = infinitivus.

# GRAMMATICA I

## Breviter de pronuntiatione

Voces Latinas acute pronuntiare nos decet. Re vera, quod *magnetophonicas* incisiones servatas non habemus, sonitus reficere debemus. Statim enim coniecturalem sed cum causa et ratione pronuntiationem proponimus.

Litterae Latinae quas *alphabetum* appellamus:

Grandes: A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

Minutae: a b c d e f g h i (j)<sup>14</sup> k l m n o p q r s t u (v)<sup>15</sup> x y z

*Phonologice* scriptae:

/a/ /b/ /k/ /d/ /e/ /f/ /g/ /h/ /i/ /y/ /k/ /l/ /m/ /n/ /o/ /p/ /k<sup>w</sup>/  
/r/ /s/ /t/ /u/ /w/ /ks/ /ü/ /ts/

Nomina litterarum Hispanice pronuntiata:

a, be, ke, de, e, ef, gue, ha (h = aspiratio), i, ka, el, em, en, o, pe, ku, er, es, te, u, iks, ü psilon, tseta.

Quinque vocales vel litterae sonantes:

A E I O V

Ad has Litteram Graecam sonantem addimus:

Υ

Vocales sunt aut breves aut longae, sed quantitatem Latine scribentes non notamus. Aliquando autem videatis:

Breves notatas:      ä ë ï ö ü

Longas notatas:      ā ē ī ō ū

Duae vocales ante alias vocales tamquam consonantes pronuntiare possumus:

I      /ya/ /ye/ /yi/ /yo/ /yu/

---

<sup>14</sup> Litteram *j* vir humaniorum litterarum studiosus Petrus Ramus saeculo XVI in alphabetum Latinum inseruit.

<sup>15</sup> Littera *v* haud ignota in Anteriore Medio Aevo fuit.

V        /wa/ /we/ /wi/ /wo/ /wu/

Vocales duplae esse possunt, *diphthongi* aliter nuncupati:

AE        /ai/                      OE        /oi/                      EV        /ew/

AV        /aw/

XVI litterae Latinae consonantes:

B C D F G K L M N P Q R S T X Z

Quas denuo ordinare possumus:

Occlusivae litterae        fricativae                nasales                vibrans        laterale

B D G                      F                      M                      R                      L

P T C K Q                S                      N

Consonantes duplae:

X

Z<sup>16</sup>

Nunc necesse est cum magistro pronuntiationem viva voce legendo meditari.

## Accentus

Quantitas paenultimarum syllabarum verborum accentus locum circumscribit.

Si paenultima syllaba longa est, accentum accipit.

Si paenultima syllaba brevis est, syllaba antepaenultima accentum accipit.

Qualis est syllaba longa? Syllaba longa aut vocalem longam aut diphthongum aut vocalem clausam habet.

Qualis est syllaba brevis? Syllaba brevis est in qua vocalis brevis in syllaba aperta est.

E.g.        Paenultimae syllabae longae: sal-**vē**-te | Gal-**lae**-cus | pa-**rēn**-tes

Pronuntiatio: /sal-**vé**-te/ /Gal-**lái**-kus/ /pă-**rén**-tēs/

---

<sup>16</sup> In verbis Graeci originis.

Paunultima syllaba brevis: Gal-lae-**cī**-a  
Pronuntiatio: /Gal-**lái**-ki-a/

Formulae salutationis

Salutatio singularis (ad unum hominem): **Salve!** (salve-)  
Salutatio pluralis (ad duo vel plures homines): **Salvete!** (salve-te)

Formulae discessionis

Discessio singularis (ad unum hominem): **Vale!** (vale-)/ **Bene valeas!**  
Discessio pluralis (ad duo vel plures homines): **Valete!** (vale-te)/ **Bene valeatis!**

Nomina et epitheta

Descriptio nominum et epithetorum

- I. **Tria genera habent:** Masculum, Feminum aut Neutrum.
- II. **Duos numeros habent:** Singularis aut Pluralis.
- III. **Sex saltem casus habent:** Nominativus, Vocativus, Accusativus, Genetivus, Dativus aut Ablativus.

| Declinatio I |             | Numerus Singularis | Numerus Pluralis |
|--------------|-------------|--------------------|------------------|
| CASVS        | Nominativus | puell-a            | puell-ae         |
|              | Accusativus | puell-am           | puell-as         |

| Declinatio II |             | Numerus Singularis      | Numerus Pluralis       |
|---------------|-------------|-------------------------|------------------------|
| CASVS         | Nominativus | puer-<br>discipul-us    | puer-i<br>discipul-i   |
|               |             | saecul-um <sup>17</sup> | saecul-a               |
|               | Accusativus | puer-um<br>discipul-um  | puer-os<br>discipul-os |

<sup>17</sup> Verba declinationis II neutra alias terminationes ac mascula et feminea accipiunt.

|  |  |           |          |
|--|--|-----------|----------|
|  |  | saecul-um | saecul-a |
|--|--|-----------|----------|

| Declinatio III |             | Numerus Singularis   | Numerus Pluralis |
|----------------|-------------|----------------------|------------------|
| CASVS          | Nominativus | urb-s                | urb-es           |
|                |             | nomen- <sup>18</sup> | nomin-a          |
|                | Accusativus | urb-em               | urb-es           |
|                |             | nomen-               | nomin-a          |

## Alia exempla declinationis nominum et epithetorum.

### Qui casus sunt? Poterisne deducere?

dilectus / dilectam / dilecti / dilectos

olivaria / olivariam / olivariae / olivarias

omnis / omnem / omnes / omnes

### Pronomina personalia (Nominativus casus)

|            | Prima persona | Altera persona |
|------------|---------------|----------------|
| singularis | ego           | tu             |
| pluralis   | nos           | vos            |

## Verba actionis aut status

### Descriptio verborum actionis aut status

I. Coniugationes: Regulares (I, II, III, IV) aut Non regulares.

II. Formae verborum actionis et status: Personales aut Impersonales (Participium, Infinitivum, Gerundium, Gerundivum aut Supinum).

III. Formae personales tres personas habere possunt: Prima, Altera aut Tertia.

IV. Duos numeros habent: Singularis aut Pluralis.

V. Aliquot tempora habent: Praesens, Praeteritum, Futurum, etc.

---

<sup>18</sup> Verba declinationis III neutra alias terminationes ac masculina et feminina accipiunt.

- VI. Actionem aut statum indicare possunt: Verba activa aut Verba passiva.
- VII. Aliquot modos exprimunt: Indicativus, Subiunctivus, Imperativus.

## Sum, esse (copulativum verbum status)

Praesens Indicativus

Infinitivus

|     |     |        |
|-----|-----|--------|
| I   | sg. | su-m   |
| II  |     | es-(s) |
| III |     | es-t   |
| I   | pl. | su-mus |
| II  |     | es-tis |
| III |     | su-nt  |

|       |
|-------|
| es-se |
|-------|

## Habito, habitare (coniugatio I)

Praesens Indicativus Activus

Infinitivus

|     |     |            |
|-----|-----|------------|
| I   | sg. | habit-o    |
| II  |     | habita-s   |
| III |     | habita-t   |
| I   | pl. | habita-mus |
| II  |     | habita-tis |
| III |     | habita-nt  |

|           |
|-----------|
| habita-re |
|-----------|

Terminationes personales advortite: **-m** (*vel -o*) / **-s** / **-t** / **-mus** / **-tis** / **-nt**.

disc-o / disce-re  
vol-o / vel-le  
viv-o / vive-re

> vul-tis  
> vivi-tis

### Alia exempla coniugationis

pos-sum / pos-se > pot-est  
fi-o / fie-ri  
cognosc-o / cognosce-re

leg-o / lege-re

perg-o / perge-re

> pergi-te

# EXERCITATIONES I

## I. Complete

|       |      | NVMERVS SINGULARIS                                                                                                                     | NVMERVS PLVRALIS                             |
|-------|------|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----------------------------------------------|
| CASVS | NOM. | lingu-a<br>discipul-a<br>amic-us<br>posteritas<br>fili-us<br>pater<br>mater<br>parens<br>Gallaec-us<br>Roman-us<br>aev-um<br>histori-a | posteritat-<br><br>patr-<br>matr-<br>parent- |
|       | ACC. | lingu-<br>discipul-<br>amic-<br>posteritat-<br>fili-<br>patr-<br>matr-<br>parent-<br>Gallaec-<br>Roman-<br>aev-<br>histori-            |                                              |

## II. Completisne aptis terminationibus?

- I. Ego Romanus puer su\_\_ .
- II. Nos Romani puer\_\_ su\_\_\_\_\_.
- III. Bandualis Roman\_\_ puer es\_\_.
- IV. Pater meus Gallaec\_\_ es\_\_.
- V. Mater mea Gallaec\_\_ es\_\_.
- VI. Parentes Roman\_\_ su\_\_\_\_\_.

- VII. Pater Roman\_\_\_ et Gallaec\_\_\_ es\_\_\_.
- VIII. Mater Romana et Gallaec\_\_\_ es\_\_\_.
- IX. Omnes Gallaec\_\_\_ Roman\_\_\_ su\_\_\_.
- X. Omnis Gallaec\_\_\_ Roman\_\_\_ es\_\_\_.

### III. Latine scribite

- I. Yo soy un niño romano. Tú eres una niña romana.
- II. Tú eres un niño romano. Yo soy una niña romana.
- III. Mi madre es romana.
- IV. Mi padre es romano.
- V. Nosotros somos niños romanos. Vosotras sois niñas romanas.
- VI. Vosotros sois niños romanos. Nosotros somos niños romanos.
- VII. Mis padres son romanos.

### VOCABULA HISPANICA ADDITA TEMPORIS ORDINE SERVATO

- I. yo: **ego** / ser: **sum, esse** / niño: **puer, puerum (m)** / romano: **Romanus, Romanum** / tú: **tu** / niña: **puella, puellam (f)** / romana: **Romana, Romanam**
- II. *Idem atque I*
- III. mí(o, -a): **meus, mea ...** / madre: **mater, matrem (f)**
- IV. padre: **pater, patrem (m)**
- V. nosotros: **nos** / niños: **pueri, pueros (m)** / vosotras: **vos** / niñas: **puellae, puellas (f)**
- VI. *Idem atque I*
- VII. padres: **parentes (m)** / romanos: **Romani, Romanos**

### IV. Latine responde ut melius potestis

#### I. SALVTATIO ET II. INTRODVCTIO

- I. Mihi nomen est Bandualis Callaicus. Quid est nomen tibi?
- II. Ego Bandualis Callaicus sum. Quis es tu?
- III. Quis est pater tuus?
- IV. Patri tuo quid est nomen?
- V. Quis est mater tua?
- VI. Matri tuae quid est nomen?
- VII. Qui sunt parentes tui?
- VIII. Parentibus tuis quae nomina sunt?

## V. Indagationes

- I. Quaerite de origine vestrorum nominum.
- II. Indagate quomodo vitam agerent legionarii Romani.
- III. Potestisne certiores vos facere de Hispaniae expugnationis processu?
- IV. Quaerite notitias de Viriatho duce Lusitanorum.

## VI. Indagationes etymologicae

Quaerite nunc Hispanicorum verborum significationem et Latinam originem:

*pueril, urbano, disciplina, secular, nominal, parental, auricular, medieval, simultáneo, ciencia, sitio, regencia, luso, apelación, civil, moral, vocación.*



De Iberia 100BC-pt.svg: Alcides Pinto

<https://commons.wikimedia.org/w/index.php?curid=44018463>

# LINGVA LATINA HODIERNA I

Vt bene scitis, antiquae linguae, classicae plerumque nuncupatae, a nonnullis mortuae esse dicuntur. Sunt tamen nonnulli qui hodie Latine loquuntur, linguam renascentes resurgentesque. Qui homines certe putant linguas optime disci sicut vivae linguae discantur. Viva lingua, quid nisi lingua qua vulgo loquantur est?

Hac in sectione multa hodiernaque dicta ut in Latinum colloquium veniatis visemus.

## Quomodo salutemus?

**Mementote:** salutare re vera bonam salutem est aliis cupere.

Si cui occurimus, salutemus:

—Salve! *vel* Ave!

Si pluribus:

—Salvete! *vel* Avete!

Ad hoc nobis addere licet: carissime, carissima, amice, amica (sg.) *vel* carissimi, carissimae, amici, amicae (pl.).

Aliter salutemus:

—Salvum gaudeo te videre! (sg.) Salvos gaudeo vos videre! (pl.)

—Bonum diem tibi exopto! (sg.) Bonum diem vobis exopto! (pl.)

Simpliciter, secundum horam diei:

—Bonum diem! *vel* Bonam noctem!

Rogemus etiam de animi statu:

—Quid agis? (sg.) Quid agitis? (pl.)

—Quomodo te habes? (sg.) Quomodo vos habetis? (pl.)

Fortasse respondeant: bene!, satis bene!, optime!, male!, pessime!, mediocriter!

...

Tandem in valedictione dicamus:

– Vale! (sg.) Valet! (pl) *vel* In posterum! ... In crastinum!

Emphatice:

– Te valere iubeo! (sg.) Vos valere iubeo! (pl.) *vel* Cura ut bene valeas! (sg.)  
Curate ut bene valeatis! (pl.)

In litteris scribendis incipere licet...

Nomen emissoris in nominativo + Nomen receptoris in dativo  
+ salutationis formulae: **Salutem Dicit Plurimam / Multam** <sup>19</sup>

... et finire licet

Vale / Bene valeas, etc.

### Quid est “aliquem alicui praesentare”?

Cum aliquem alicui praesentamus, aliquem ad aliquem re vera ducimus vel producimus vel ad amicitiam contrahendam introducimus. Et dicere possumus hoc esse aliquem alicui tradere.

Legite proximum colloquium. Capitisne contextum? <sup>20</sup>

- Lucius** Salve sis, Tullia. Quid agis?  
**Tullia** Salve, Luci. Quid agis tu?  
**Lucius** Nosti me. Me semper belle habeo. Quis est haec puella quae tecum est?  
**Tullia** Luci, velim tradere tibi consobrinam meam, Priscillam.  
**Lucius** Priscilla, mihi pergratum est te convenire. Habitasne in hac vicinia?  
**Priscilla** Minime vero. Habito in oppidulo Ardea.  
**Lucius** Ardea? Estne in Campania an in Latio?  
**Priscilla** In Latio, non procul ab urbe.  
**Lucius** Dic mihi, quotiens Romam venis?

---

<sup>19</sup> Plerumque in abbreviatura: S.D.P. / S.D.M.

<sup>20</sup> Textus traditus ab John C. Traupman *Conversational Latin for Oral Proficiency*, Bolchazy-Carducci Publishers, Inc., Canada, 2007.

**Priscilla** Quotiescumque consobrina mea me invitat.

## Quid si exercitamus praesentationes?

Ordo sermonum statuenda est:

Primum, salutatio.

Deinde, quaestiones de vita propria.

Tertium, valedictio.

Exempli gratia:

— Salve...! Quid nomen est tibi?

— Salve et tu... Mihi nomen est (...) Quid nomen est tibi?

— Mihi nomen est (...)

— Habitasne in hac urbe?

— Ita vero / Minime vero. Et tu, habitasne in hac urbe?

— Ita vero / Minime vero. Dic mihi, discipulus (*vel* discipula) es an opifex?

— Discipulus sum. / Opifex sum.

— Vbi studes? / Vbi laboras?

— Studeo in Instituto Secundariae Educationis (nomen). / Laboro in (officina, ergasterio, fabrica...)

— Nunc vale. Quam primum te revidere spero.

— Vale et tu. Te revidere spero et ego.

Si nescitis quomodo aliquid Latine dicatur... indagationem conamini!

# FABVLAE LATINAE FACILES APVD IGNEM LARARIVM AVDIENDAE I

Notate bene. Fabulas quas scripturi sumus radices in Gallaeca traditione a maioribus transmissa habent. Nescimus quidem veram antiquitatem, sed in antiquitate Latina, haud dubio, nondum erant.

## THESAVRVS IN INSVLA AVNIO <sup>21</sup>

**Nauta** quidam fabulam de thesauro audit. Thesaurus in insula Aunio <sup>22</sup> est. "In Aunio," nauta audit, "fons est plenus cochlearum aurearum".

"Quam mirabile animal cochlea aurea est, non dubio!", cogitat nauta, et nonnullas cochleas quaerere constituit. Quodam die pro **piscatione** thesauri **consecrationem** exercet. Ad Aunium quidem appropinquat et fontem quaerit. Et, mirabile dictu, invenit. "Ecce fons cochlearum aurearum", sibi dicit.


Tum postridie nocte in Aunium insulam redit. Nunc magna navis nautam vehit. In insula plurimas cochleas capit, donec navis plena est.



Dies et nox (*vel* die et nocte) / = Interdiu et noctu

Dehinc nauta dives vivit, sed nunquam fontis sedem develat.

Et haec est fabella mea de thesauro in insula Aunio.



Fons e monte

*nauta* = qui navigat



Aurea cochlea!

*piscatione* < piscatio = ars pisces capiendi

*consecrationem* < consecratio = quaesitus

<sup>21</sup> Fabula recepta a Álvaro das Casas in *A illa de Ons*. Nós 131-132. Ourense 1934, p. 173-174.

<sup>22</sup> Aunios insula hodie *Ons* Gallaecae Hispaniceque appellatur.

## Quaestiones ad comprehensionem narrationis confirmandam...

- I. Qua de re loqui nauta quidam audit?
- II. Quomodo thesaurus in Aunio erat?
- III. Quid de cochleis aureis nauta cogitat?
- IV. Quid quaerere nauta constituit?
- V. Cum ad Aunium appropinquat, quid quaerit nauta?
- VI. Cum, proximo die, in Aunium redit, quid facit nauta?

### QVAE ET QVALES SVNT MAVRAE? <sup>23</sup>


Sunt quaedam feminae pulcherrimae quas videre quibusve occurrere perdifficile est. Eas quidem *Mauras* appellamus. Suntne deae an **numina**? Suntne solae **fatidicae** feminae? Suntne maiorum **manes** an **larvae** an **lemures**? Suntne simpliciter phantasmata?

Nescimus si homines deaeque sint, sed eas esse vere scimus. Nonnulli etiam eas vident, cum eis loquuntur et earum amore capiuntur.

Maurae sub terra subve aqua habitant, sed longe ab inferis et a Plutonis regno. Puellas, virgines, dominas vel reginas eas nuncupamus. Crinibus rubris longisque et albis cutibus atque genis russis, *seductrices* feminae sunt qui adulescentes virosque seducunt.

Dicunt certe qui eas viderunt Mauras sub sole capillos pectere in saxis sedentes apud rivos vel fontes, una manu fusum vertentes, altera manu caseum vel butyron facientes. Et sunt qui dicunt Mauras saxa supra capita ferre, quibus oppida vel monumenta exstruunt.

Maurae custodes thesaurorum aureorum sub terris sunt et si eis placet corpora sua



Maura quaedam

*numina* < numen = manifestatio voluntatis divinae

*fatidicae* < fatidicus = propheticus

*manes* = spiritus mortuorum familiarum  
*larvae* = species spectrorum maleficorum  
*lemures* = animae mortuorum quae ad terram regrediuntur



Maura se pectine pectens

<sup>23</sup> Maurae sunt quae hodierna Gallaeca lingua *mouras* appellatis. Dicunt alii *Mauras* sic ab *auro* appellari.

in anguis formam mutant. Cur? Quod natura earum non humana est.

Nonne plura de mirabilibus Mauris vestigare vultis?  
Nonne plura nosse vultis de *spiritalibus entibus*?

*spiritalis entes* =  
spiritus, phantasmata ...

### Quaestiones ad comprehensionem narrationis confirmandam...

- I. Estne facile Mauras videre?
- II. Hominesne an deae sunt Murae?
- III. Vbi habitant Murae?
- IV. Quomodo Mauras nuncupamus?
- V. Qualis color earum crinibus est?
- VI. Suntne eis crines longae an curtae?
- VII. Qualis color earum genis est?
- VIII. Cur dicere possumus Mauras *seductrices* esse?
- IX. Quid faciunt Murae in saxis sedentes apud rivos?
- X. Quid Murae una manu vertunt?
- XI. Quid Murae altera manu faciunt?
- XII. Quid supra capita ferunt Murae?
- XIII. Qua de causa Murae lapides supra capita ferunt?
- XIV. Possuntne mutare formam Murae?
- XV. Qualis Maurarum natura est?

### QVAE SVNT MAMMVLAE TERRENAE?

Multi quidem in Gallaecia tumuli quos *mammulas terrenas* appellamus sunt. Mammulae tamquam colles manu factae sunt, sub quibus specie parvi valli circulatim stant ingentes aliquot lapides super quas aliam magnam lapidem iacentem positamque conspicere potestis. Lapidem magnae mensae formam habent. Has lapides sub mammula sitas futuri archaeologi *dolmenes* appellabunt.

Mammulae antiquissimis temporibus exstructae sunt. Nescimus igitur qui populi eas exstruxerint, scimus tamen monumenta esse ad honorem mortuorum.

Sunt qui putant divites Mauros sub mammulis antiquitus habitare, auro splendentes thesauros ibi servantes.



Dolmen

In Gallaecia plurimae fabulae de Mauris supersunt, homines qui tam magnifici magicique quam extemporales videntur.

### Quaestiones ad comprehensionem narrationis confirmandam...

- I. Suntne mammulae terrariae tamquam colles?
- II. Quae est dispositio lapidum sub mammulis terrariis?
- III. Quam formam habent lapides sub mammulis terrariis?
- IV. Vt appellant archaeologi lapides sub mammulis terrariis?
- V. Qui extruxerunt mammulas terrarias?
- VI. Quam ob rem antiqui homines mammulas terrarias extruxerunt?
- VII. Secundum quosdam, qui habitant sub mammulis terrariis?
- VIII. Qui fuerunt Mauri?

# PRIMA PARS

## QVOMODO GALLAECI VITAM AGIMVS (I)?


### I. VRBICVLAE ET CASAE

In oppido prope mare habito, ut antea scripsi, vel melius dicam in parvo vico habito, id est, in urbicula **munita** nonnunquam *Castro* nuncupata (Latine etiam *oppidum* <sup>v</sup> vel *oppidulum* dici potest, vel si vis media Latinitate *villagium*, sed etiam tum *castrum* sive *castellum* <sup>vi</sup>).

Vrbicula, vel vicus, vel pagus, locus est in quo haud multae **domus** sunt et maxima pars domorum intra muros est.

Plurimi quidem Gallaeci in urbiculis habitamus. Plurimae enim urbiculae in Gallaecia sunt. Alii Gallaeci in **villis** rusticis vitam agunt. Tandem alii in urbibus **haud nimium** magnis, sed notabilibus, more Romano conditis.

Oppidum tamen maximum prope urbiculam nostram Bracara Augusta est. Hodie Bracara urbs plane Romana est. Aliae proximae urbes notabiles sunt tamquam Tude et Aquae Celenae. Forsan **nosse** quaeritis nunc urbiculae meae nomen. Vt vos olim *Vicum* dicetis, sic igitur inter nos oppidum nostrum *Vicum* dicamus <sup>vii</sup>.



Ecce casa et focus!

Quod parvae sunt domus urbiculae quam nos habitamus, has domus *casas* nuncupamus. Hae quidem casae nunc lapideae sunt <sup>viii</sup>. In tecto aliae culmum, aliae tegulas habent. Casae ubi homines Gallaeci



Bandualis Callaicus

*vitam ago* = vivo

*munitus* est locus qui moenia vel muros habet.

*domus* aedificium est in quo homines sub tecto habitant. Syn.: *habitatio*.

*villa* aedificium extra urbem haud parva magnitudine structum.

*haud nimium* = paulum

*nosse* = scire, discere



Ecce canis!

habitamus in rotam formam plurimae habent, aliae quadratae sunt aut oblongae.

Saepe casae ubi animalia habitant in quadram formam habent et casae quadratae quoque laborum instrumenta aliquando servant. Sed sic non semper. Ceterum canes et feles foris vivunt et numquam intra domos dormiunt.

Cuntae sunt etiam casae intra muros et viae inter casas sinuosae serpunt. Agri et horti plerumque sunt extra muros. Fere omnes Gallaeci agrarios labores exercemus. Nos certe officia varia exercemus. De quibus brevi temporis momento **loquar** <sup>24</sup>.

## II. ALIAE DOMVS AEDIFICATIONESQVE

Circa *Vicum*, id est, circa montem quem vos, futuri studiosi, *Castrum* appellabitis <sup>ix</sup>, plurimae sedes sunt, aliae urbanae, aliae rurales. Romani huc cum venerunt, litorales plagas occupaverunt. Meliorem portum, navalia, salinas fecerunt. Vias et cloacas aedificaverunt <sup>x</sup>. Plurima aedificia publica privataque extruxerunt, inter quae et templa balneaque et domus atque villas numeramus. Romani planities praeferunt ad vitam agendam <sup>xi</sup>.



Servi in salinis laborantes

## III. PLVRA DE CASIS NOSTRIS

Antea alibi vobis dixi plerosque Gallaecos in casis habitare. Nunc vobis dico non omnes Gallaecos in casis habitare. Nam in terras Gallaeas venerunt multi populi multaeque gentes de origine diversa. Alii e Galia et Germania, alii ex Italia, alii e Tarraconensi et Lusitania, alii ex Africa procedunt, alii hic nati



Videtisne felem supra quadratae casae culmum?

*loquar*, legite notam ad pedem



Arenosum litus



Templum

<sup>24</sup> *Loquar* = dicam, id est, verbum *dicere* in Futuro tempore, persona I singulari. Quodam die, multas post lectiones confectas, de his verbis *deponentibus* loquemur.

sunt, tamquam avi et proavi et atavi eorum, quasi filii terrae. Omnibus **mores consuetudinesque** singulares sunt.

Casae a maioribus traditae pleraeque rotundae sunt. Duas, tres vel quattuor casas unaquaeque familia possidet, parvo muro aliquando iunctas. Vultisne visitare casam nostram, ut ita dicam, principalem? Venite mecum **intus**.

Limem intrantes videre potestis in media casa **ignem Lararium**, semper accensum, et supra ignem **caccabum** pendentem <sup>xii</sup>. In medio tecto, supra ignem, conspiciere potestis foramen per quod fumus ad astra ascendit. Ad parietes sedes et lecti sunt ubi **ad edendum sedemur** et ad dormiendum iacemus. In casa videre potestis supellectilem, tamquam vasa, sartagine, patellas, trullas, lances ...



Familia ad edendum  
sedet



Gallus mane canit


Nosse debetis ut interdum viri feminaeque atque pueri puellaeque foris simus multas labores exercentes. Maximam vitam extra domos agimus, nonnunquam sub sole et saepe sub imbribus. Sed circum ignem noctu convenimus omnes familiares ad **res gestas** aut imaginarias narrandas. Post cenam et sermonem recubamus solem matutinum atque cantum galli exspectantes.

*mores consuetudinesque* =  
modus vivendi

*intus* = interior  
ant. *foris* = exterior



Ignis Lararius et supra  
ignem caccabus



Pluviosus dies in  
roboro

*res gestae* = res heroicae  
actae  
*heros* = mythicus homo,  
semidivinus

# GRAMMATICA II

## Formulae interrogationis responsionisque

Duae sunt interrogandi facultates:

Si quid scire vultis verum an falsum sit, hoc modo rogare debetis:

- ne ... ?      *Vultisne grammaticae studere?*  
                    *Volumus. / Ita vero. / Minime nunc.*
- num ... ?      *Num grammaticae studere vultis?*  
                    *Minimissime* <sup>25</sup>!
- utrum ... an ... ? *Vtrum grammaticae studere an pila ludere vultis?*  
                            *Qualem quaestionem rogas? Nihil ut commentemur.*

Si alias res scire vultis, verbis interrogativis uti debetis:

- quis ... ?      *Quis ego sum?*  
                    *Bandualis Callaicus sum. / Bandualis nominor.*
- quid ... ?      *Quid fecisti?*  
                    *Librum de mea vita scripsi.*
- ubi ... ?      *Vbi sunt qui ante nos vixerunt?*  
                    *Nescio, sed quaere sis* <sup>26</sup> *in defunctorum sedibus.*
- quomodo ... ? *Quomodo Gallaeci vitam agunt?*  
                    *Necesse erit totum librum legere ad hoc sciendum.*
- cur ... ?      *Cur Latinae linguae studetis?*  
                    *Non solum quod Linguam Latinam maxime amamus,*  
                    *verum etiam per obligationem.*

---

<sup>25</sup> Id est, *hyperbolice*, plus quam minime.

<sup>26</sup> *sis* = si vis

## Nomina et epitheta

| Declinatio I |           | Numerus Singularis | Numerus Pluralis |
|--------------|-----------|--------------------|------------------|
| CASVS        | Genetivus | puell-ae           | puell-arum       |
|              | Dativus   | puell-ae           | puell-is         |
|              | Ablativus | puell-a            | puell-is         |

| Declinatio II |           | Numerus Singularis | Numerus Pluralis |
|---------------|-----------|--------------------|------------------|
| CASVS         | Genetivus | puer-i             | puer-orum        |
|               |           | discipul-i         | discipul-orum    |
|               | Dativus   | saecul-i           | saecul-orum      |
|               |           | puer-o             | puer-is          |
|               | Ablativus | discipul-o         | discipul-is      |
|               |           | saecul-o           | saecul-is        |

| Declinatio III |           | Numerus Singularis | Numerus Pluralis      |
|----------------|-----------|--------------------|-----------------------|
| CASVS          | Genetivus | urb-is             | urb-ium <sup>27</sup> |
|                |           | nomin-is           | nomin-um              |
|                | Dativus   | urb-i              | urb-ibus              |
|                |           | nomin-i            | nomin-ibus            |

<sup>27</sup> Non solum terminationem *-ium*, sed etiam *-um* habemus. At paulatim discemus utrum *-ium* an *-um* utendum sit.

|           |           |         |            |
|-----------|-----------|---------|------------|
| CAS<br>VS | Ablativus | urb-e   | urb-ibus   |
|           |           | nomin-e | nomin-ibus |

## Alia exempla declinationis nominum epithetorumque

### Qui casus sunt? Poterisne deducere?

parvus / parvam / parvi / parvorum / parvis

munitum / munita / munitarum / munitis / munitae

notabilis / notabili / notabilium / notabilem / notabilibus

## Epitheta

Nunc quidem de epithetis notationem quandam faciamus.

Epitheta, vel nomina adiectiva, paulum a ceteris nominibus *morphologice* differunt. Tria genera cuique epitheto sunt, unum autem genus cuique nomini.

Duorum epithetorum declinationem observetis ac numeros casusque dicatis:

| M.       | F.       | N.       | M. F.       | N.          |
|----------|----------|----------|-------------|-------------|
| parvus   | parva    | parvum   | notabilis   | notabile    |
| parvum   | parvam   | parvum   | notabilem   | notabile    |
| parvi    | parvae   | parvi    | notabilis   | notabilis   |
| parvo    | parvae   | parvo    | notabili    | notabili    |
| parvo    | parva    | parvo    | notabili    | notabili    |
|          |          |          |             |             |
| parvi    | parvae   | parva    | notabiles   | notabiles   |
| parvos   | parvas   | parva    | notabiles   | notabiles   |
| parvorum | parvarum | parvorum | notabilium  | notabilium  |
| parvis   | parvis   | parvis   | notabilibus | notabilibus |
| parvis   | parvis   | parvis   | notabilibus | notabilibus |

## Enuntiatio nominum epithetorumque

Si qualis sit declinatio (vel quomodo declinatio sit) nominis epithetive nosse vultis, huiusce rei rationem habeatis:

Enuntiatio nominum: Nominativus et Genetivus.

Enuntiatio epithetorum: Nominativus trium generum.

Sic enuntiationes varias considerate:

|                              |                                                                       |
|------------------------------|-----------------------------------------------------------------------|
| Nomen primae declinationis:  | puella, puellae (f)                                                   |
| Nomen alterae declinationis: | puer, pueri (m)<br>discipulus, discipuli (m)<br>saeculum, saeculi (n) |
| Nomen tertiae declinationis: | urbs, urbis (f)<br>nomen, nominis (n)                                 |
| Epitheta 2-1-2 <sup>28</sup> | parvus, parva, parvum                                                 |
| Epitheta 3-3                 | notabilis, notabile                                                   |

## Concordantia

Maximi momenti est nunc ut concordantiae leges cognoscatis.

Hic epitheti cum nomine concordantiam proponamus. Sic est:

### CONCORDAT EPITHETVM CVM NOMINE IN CASV, NVMERO ET GENERO.

Quid hoc vere significat? Epithetum si adiacit ad nomen solus sciendi modus concordantia est.

## Pronomina personalia

|             | Singularis | Pluralis         |
|-------------|------------|------------------|
| Nominativus | ego        | nos              |
| Accusativus | me         | nos              |
| Genetivus   | mei        | nostrum / nostri |
| Dativus     | mihi       | nobis            |
| Ablativus   | me         | nobis            |

|             | Singularis | Pluralis |
|-------------|------------|----------|
| Nominativus | tu         | vos      |
| Accusativus | te         | vos      |

<sup>28</sup> Notatio numerorum Araborum declinationis classem monstrat.

|                  |             |                        |
|------------------|-------------|------------------------|
| <b>Genetivus</b> | <b>tui</b>  | <b>vestrum/ vestri</b> |
| <b>Dativus</b>   | <b>tibi</b> | <b>vobis</b>           |
| <b>Ablativus</b> | <b>te</b>   | <b>vobis</b>           |

Si per personalia pronomina comitatus mentionem facere vultis, dicere potestis:

|                     |          |
|---------------------|----------|
| mecum <sup>29</sup> | nobiscum |
| tecum               | vobiscum |

E.g.:    – *Quocum estis?*                      – *Quibuscum est?*  
              – *Tecum sumus.*                    – *Nobiscum est.*

**Pronomina demonstrativa vel deictica**

Tria sunt pronomina demonstrativa, ut rerum proximitatem longinquitatemve constituere possitis.

| <b>CASVS</b>                                                  | <b>MAXIMA PROXIMITAS<br/>VEL MINIMA<br/>LONGINQVITAS</b>                                                          | <b>MEDIA PROXIMITAS VEL<br/>MEDIA LONGINQVITAS</b>                                                                                          | <b>MINIMA<br/>PROXIMITAS<br/>VEL MAXIMA<br/>LONGINQVITAS</b> |
|---------------------------------------------------------------|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|--------------------------------------------------------------|
|                                                               | M. F. N.                                                                                                          | M. F. N.                                                                                                                                    | M. F. N.                                                     |
| <b>N.</b><br><b>A.</b><br><b>G.</b><br><b>D.</b><br><b>Ā.</b> | <b>hic haec hoc</b><br><b>hunc hanc hoc</b><br><b>huius</b><br><b>huic</b><br><b>hoc hac hoc</b>                  | <b>iste ista istud</b><br><b>istum istam istud</b><br><b>istius</b><br><b>isti</b><br><b>isto ista isto</b>                                 | <b>ille illa illud</b>                                       |
| <b>N.</b><br><b>A.</b><br><b>G.</b><br><b>D.</b><br><b>Ā.</b> | <b>hi hae haec</b><br><b>hos has haec</b><br><b>horum harum horum</b><br><b>his his his</b><br><b>his his his</b> | <b>isti istae ista</b><br><b>istos istas ista</b><br><b>istorum istarum istorum</b><br><b>istis istis istis</b><br><b>istis istis istis</b> | <b>Eadem<br/>declinatio<br/>atque iste</b>                   |

<sup>29</sup> Cum comitatus praepositio est et ablativum exigit.

## Verba actionis aut status

Quiddam maximi momenti de verbis actionis statusve scire nos oportet, scilicet, *enuntiationes* habere.

Enuntiatio verborum actionis statusve coniugationis classem non solum nobis monstrat, sed alias notitias offert. In fragmenta secemus.

| ENVNTIATIONES VERBORVM ACTIONIS STATUSQVE |                             |             |                                 |                        |
|-------------------------------------------|-----------------------------|-------------|---------------------------------|------------------------|
|                                           | Thema infecti<br>(praesens) | Infinitivus | Thema perfecti<br>(praeteritum) | Thema supini           |
| <b>Irreg.</b>                             | su-m                        | es-se       | fu-i                            | Supinum deest          |
| <b>I c.</b>                               | habit-o                     | habitā-re   | habitav-i                       | habitatum              |
| <b>II c.</b>                              | habe-o                      | habē-re     | habu-i                          | habitus                |
| <b>III c.</b>                             | scrib-o                     | scribē-re   | scrips-i                        | scriptum <sup>30</sup> |
| <b>IV c.</b>                              | muni-o                      | munī-re     | muniv-i                         | munitum                |

## Sum, esse, fui

### Praesens Indicativus

|            |            |        |
|------------|------------|--------|
| <b>I</b>   | <b>sg.</b> | su-m   |
| <b>II</b>  |            | es-    |
| <b>III</b> |            | es-t   |
| <b>I</b>   | <b>pl.</b> | su-mus |
| <b>II</b>  |            | es-tis |
| <b>III</b> |            | su-nt  |

### Praeteritum Perfectum

|            |            |          |
|------------|------------|----------|
| <b>I</b>   | <b>sg.</b> | fu-i     |
| <b>II</b>  |            | fu-isti  |
| <b>III</b> |            | fu-it    |
| <b>I</b>   | <b>pl.</b> | fu-imus  |
| <b>II</b>  |            | fu-istis |
| <b>III</b> |            | fu-erunt |

<sup>30</sup> Verba tamquam *facio, facere, feci, factum* III coniugationis sunt.

## Habito, habitare, habitavi, habitatum (coniugatio I)

Praesens Indicativus Activus

|     |     |            |
|-----|-----|------------|
| I   | sg. | habit-o    |
| II  |     | habita-s   |
| III |     | habita-t   |
| I   | pl. | habita-mus |
| II  |     | habita-tis |
| III |     | habita-nt  |

Praeteritum Perfectum Act.

|     |     |               |
|-----|-----|---------------|
| I   | sg. | habitav-i     |
| II  |     | habitav-isti  |
| III |     | habitav-it    |
| I   | pl. | habitav-imus  |
| II  |     | habitav-istis |
| III |     | habitav-erunt |

## Habeo, habere, habui, habitum (coniugatio II)

Praesens Indicativus Activus

|     |     |          |
|-----|-----|----------|
| I   | sg. | habe-o   |
| II  |     | habe-s   |
| III |     | habe-t   |
| I   | pl. | habe-mus |
| II  |     | habe-tis |
| III |     | habe-nt  |

Praeteritum Perfectum Act.

|     |     |            |
|-----|-----|------------|
| I   | sg. | habu-i     |
| II  |     | habu-isti  |
| III |     | habu-it    |
| I   | pl. | habu-imus  |
| II  |     | habu-istis |
| III |     | habu-erunt |

## Scribo, scribere, scripsi, scriptum (coniugatio III)

Praesens Indicativus Activus

|     |     |            |
|-----|-----|------------|
| I   | sg. | scrib-o    |
| II  |     | scribi-s   |
| III |     | scribi-t   |
| I   | pl. | scribi-mus |
| II  |     | scribi-tis |
| III |     | scribu-nt  |

Praeteritum Perfectum Act.

|     |     |              |
|-----|-----|--------------|
| I   | sg. | scrips-i     |
| II  |     | scrips -isti |
| III |     | scrips-it    |
| I   | pl. | scrips-imus  |
| II  |     | scrips-istis |
| III |     | scrips-erunt |

## Munio, munire, munivi, munitum (coniugatio IV)

Praesens Indicativus Activus

Praeteritum Perfectum Act.

|            |            |                 |
|------------|------------|-----------------|
| <b>I</b>   |            | <b>muni-o</b>   |
| <b>II</b>  |            | <b>muni-s</b>   |
| <b>III</b> |            | <b>muni-t</b>   |
| <b>I</b>   | <b>pl.</b> | <b>muni-mus</b> |
| <b>II</b>  |            | <b>muni-tis</b> |
| <b>III</b> |            | <b>muniu-nt</b> |

|            |            |                    |
|------------|------------|--------------------|
| <b>I</b>   |            | <b>muniv-i</b>     |
| <b>II</b>  |            | <b>muniv-isti</b>  |
| <b>III</b> |            | <b>muniv-it</b>    |
| <b>I</b>   | <b>pl.</b> | <b>muniv-imus</b>  |
| <b>II</b>  |            | <b>muniv-istis</b> |
| <b>III</b> |            | <b>muniv-erunt</b> |

Conspicite praesentis thematis vocalem:

|                |       |          |
|----------------|-------|----------|
| Coniugatio I   | -ā-   |          |
| Coniugatio II  | -ē-   |          |
| Coniugatio III | -ĭ/ŭ- | < *-ĕ/ŏ- |
| Coniugatio IV  | -ī-   |          |

Videtisne nunc *clavem* diversarum coniugationum? Evidens videtur.

### Alia exempla coniugationis

Potestisne dicere ex enuntiatione horum verborum actionis statusque eorum coniugationis classem?

dico, dicere, dixi, dictum  
nuncupo, nuncupare, nuncupavi, nuncupatum  
possum, posse, potui  
volo, velle, volui  
ago, agere, egi, actum  
condo, condere, condidi, conditum  
quaero, quaerere, quaesivi, quaesitum  
servo, servare, servavi, servatum  
vivo, vivere, vixi, victum  
dormio, dormire, dormivi, dormitum  
serpo, serpere, serpsi  
exerceo, exercere, exercui, exercitum  
appello, appellare, appellavi, appellatum  
venio, venire, veni, ventum

occupo, occupare, occupavi, occupatum  
aedifico, aedificare, aedificavi, aedificatum  
exstruo, exstruere, exstruxi, exstructum  
numero, numerare, numeravi, numeratum  
praefero, praeferre, praetuli, praelatum  
procedo, procedere, processi, processum  
trado, tradere, tradidi, traditum  
possideo, possidere, possedi, possessum  
iungo, iungere, iunxi, iunctum  
intro, intrare, intravi, intratum  
video, videre, vidi, visum  
accendo, accendere, accendi, accensum  
pendo, pendere, pependi, pensum  
conspicio, conspicerere, conspexi, conspectum  
ascendo, ascendere, ascendi, ascensum  
edo, edere, edi, esum  
sedeo, sedere, sedi, sessum  
iaceo, iacere, iacui  
convenio, convenire, conveni, conventum  
narro, narrare, narravi, narratum  
recubo, recubare  
exspecto, exspectare, exspectavi, exspectatum

# EXERCITATIONES II

## I. Declinationes complete

| NVMERVS SINGVLARIS |           |             |          |              |
|--------------------|-----------|-------------|----------|--------------|
| N.                 | vicus (m) | oppidum (n) | mare (n) | urbicula (f) |
| A.                 |           |             |          |              |
| G.                 | vici      | oppidi      | maris    | urbiculae    |
| D.                 |           |             |          |              |
| Ā.                 |           |             |          |              |
| NVMERVS PLVRLIS    |           |             |          |              |
| N.                 | vici      | oppida      | maria    | urbiculae    |
| A.                 |           |             |          |              |
| G.                 | vicorum   | oppidorum   | marium   | urbicularum  |
| D. Ā.              |           |             |          |              |

| NVMERVS SINGVLARIS |          |           |          |           |
|--------------------|----------|-----------|----------|-----------|
| N.                 | pars (f) | villa (f) | urbs (f) | pagus (m) |
| A.                 |          |           |          |           |
| G.                 | partis   | villae    | urbis    | pagi      |
| D.                 |          |           |          |           |
| Ā.                 |          |           |          |           |
| NVMERVS PLVRLIS    |          |           |          |           |
| N.                 | partes   | villae    | urbes    | pagi      |
| A.                 |          |           |          |           |
| G.                 | partium  | villarum  | urbium   | pagorum   |
| D. Ā.              |          |           |          |           |

Nunc iam si adhuc valetis, potestisne horum verborum declinationes temptare?

**Mementote: enuntiatio nominum (N. + G.) – enuntiatio epithetorum (N. m.f.n.)**

### **NOMINA**

culmus, -i (m)  
tegula, -ae (f)  
rota, -ae (f)  
animal, -alis (n)  
instrumentum, -i (n)  
canis, -is (m)  
feles, -is (f)  
murus, -i (m)  
ager, agri (m)  
hortus, -i (m)  
labor, -oris (m)  
officium, -i (n)  
mons, montis (m)  
sedes, -is (f)  
plaga, -ae (f)  
salina, -ae (f)  
via, -ae (f)  
cloaca, cloacae (f)  
templum, -i (n)  
balneum, -i (n)  
avus, -i (m)  
mos, moris (m)  
consuetudo, consuetudinis (f)  
limen, liminis (n)  
ignis, ignis (m)  
caccabus, -i (m)  
foramen, foraminis (n)  
fumus, -i (m)  
astrum, -i (n)  
supellex, supellectilis (f)

vas, vasis (n)  
sartago, sartaginis (f)  
patella, -ae (f)  
trulla, -ae (f)  
lanx, lancis (f)  
sol, solis (m)  
imber, imbris (m)  
cena, -ae (f)  
sermo, sermonis (m)  
gallus, -i (m)

### **EPITHETA**

lapideus, -a, -um  
quadratus, -a, -um  
oblongus, -a, -um  
sinuosus, -a, -um  
agrarius, -a, -um  
varius, -a, -um  
omnis, -e  
brevis, -e  
studiosus, -a, -um  
urbanus, -a, -un  
ruralis, -e  
litorialis, -e  
navalis, -e  
publicus, -a, -um  
privatus, -a, -um  
medius, -a, -um  
lararius, -a, -um  
matutinus, -a, -um

Nunc vobis suadeo ut declinationem coniunctam (scilicet, nominis + epitheti) conficiatis. Magnifica exercitatio erit tunc si demonstrativa addideritis.

E.g. hic haec hoc + tegula, -ae (f) + quadratus, -a, -um

| NUMERVS SINGVLARIS |                      |
|--------------------|----------------------|
| N.                 | haec tegula quadrata |
| A.                 |                      |
| G.                 |                      |
| D.                 |                      |
| Ā.                 |                      |
| NUMERVS PLVRALIS   |                      |
| N.                 |                      |
| A.                 |                      |
| G.                 |                      |
| D. Ā.              |                      |

II. Nisi concordantia recta est, corrigit

- I. rota lapideas

II. animali lapidei

III. instrumentis lapideos

IV. murus lapideo

V. montem lapideus
- VI. viae lapideis

VII. templa lapideas

VIII. astri lapideo

IX. vasa lapideae

X. gallorum lapidearum

III. Eligite verba apta ad orationes implendas

- I. Plerique Gallaeci in \_\_\_\_\_ habitare.

II. Non omnes \_\_\_\_\_ in casis habitare.

III. In \_\_\_\_\_ Gallaecas venerunt populi.

IV. In orbe terrarum sunt gentes \_\_\_\_\_ .

V. Hic nati sunt \_\_\_\_\_ terrae.

VI. Mores consuetudinesque \_\_\_\_\_ sunt.
- casas / casis / casae

Gallaeci / Gallaecos / Gallaecis

terris / terrae / terras

diversus / diversas / diversae

fili / filios / filiae

singularis / singulares / singularibus

|       |                                         |                                  |
|-------|-----------------------------------------|----------------------------------|
| VII.  | Casae pleraeque _____ sunt.             | rotunda / rotundis /<br>rotundae |
| VIII. | Tres casas unaquaeque _____ possidet.   | familia / familiae /<br>familias |
| IX.   | Ignem videre postestis in _____ casa.   | media / mediam /<br>medium       |
| X.    | In medio _____ foramen videre potestis. | tectum / tecto / tecta           |

#### IV. Compleatisne aptis terminationibus?

- I. Parvae sunt domus quas nos habit\_\_\_\_ .
- II. In tecto casae culmum hab\_\_\_\_ .
- III. Casae quadratae aliquando instrumenta serv\_\_\_\_ .
- IV. Canes foris viv\_\_\_\_ .
- V. Feles numquam intra domos dormi\_\_\_\_ .
- VI. Via inter casas serp\_\_\_\_ .
- VII. Agri et horti extra muros s\_\_\_\_ .
- VIII. Vos, Gallaeci, exerc\_\_\_\_ne agrarios labores?
- IX. Etiamne tu, Bandualis, in agris labor\_\_\_\_ ?

#### V. Quid si temptatis haec verba *analytice* describere?

**Mementote: personam, numerum, tempus (aut praesens aut praeteritum) dici oportet.**

|       |            |        |              |
|-------|------------|--------|--------------|
| I.    | dicis      | XI.    | appellavimus |
| II.   | possumus   | XII.   | venis        |
| III.  | volui      | XIII.  | occupavi     |
| IV.   | egerunt    | XIV.   | exstruunt    |
| V.    | condidi    | XV.    | praefero     |
| VI.   | quaeritis  | XVI.   | procedimus   |
| VII.  | servant    | XVII.  | tradidistis  |
| VIII. | vivit      | XVIII. | possedi      |
| IX.   | dormivisti | XIX.   | iunximus     |
| X.    | exercet    | XX.    | ascendis     |

#### VI. Latine scribite

- I. Vivimos en una ciudad junto al mar.
- II. Hay muchas chozas en la aldea.
- III. Los galaicos pasamos la vida en los castros.

- IV. Los romanos fundaron muchísimas ciudades.
- V. Estas chozas de piedra tienen tejas en el techo.

#### VOCABULA HISPANICA ADDITA TEMPORIS ORDINE SERVATO

- I. vivir: **habito, -are, -avi, -atum** / ciudad: **oppidum, -i (n)** / junto a: **prope (+ A.)** / mar: **mare, maris (n)**
- II. haber (impersonal): **sum, esse, fui** / choza: **casa, casae (f)** / en: **in (+ Ā.)** / aldea: **urbicula, -ae (f)**
- III. galaico: **Gallaecus, -a, -um** / pasar la vida: **vitam + ago, -ere, egi, actum** / castro: **castrum, -i (n) vel castellum, -i (n)**
- IV. romano: **Romanus, -a, -um** / fundar: **condo, -ere, condidi, conditum** / muchísimo: **plurimus, -a, -um** / ciudad: **urbs, urbis (f)**
- V. este, -a, -o: **hic, haec, hoc** / de piedra: **lapideus, -a, -um** / tener: **habeo, -ere, habui, habitum (tr.)** / teja: **tegula, -ae (f)** / techo: **tectum, -i (n)**

**¡CAVETE VERBORVM ORDINI VT LATINO MORE SIT!**

### VII. Latine respondite (post textus lectionis denuo lectos)

#### I. VRBICVLAE ET CASAE

- I. Vbi ait Bandualis habitare?
- II. Potestisne oppidi synonyma enuntiare? Faciatis, amabo.
- III. Suntne multae domus vel habitationes in urbicula Bandualis?
- IV. Vbi habitant plurimi Gallaeci secundum Bandualem?
- V. Meministisne urbes Romanas proximas Bandualis urbiculae? Aliquot dicatis, precor.
- VI. Cur Gallaecas domus *casas* nuncupat Bandualis?
- VII. Quem conspectum Gallaecae casae monstrant? Speciem describatis, si vultis.
- VIII. Vbi habitant animalia tamquam canes felesve?

#### II. ALIAE DOMVS AEDIFICATIONESQVE


- IX. Romani cum ad Vicum advenerunt quas regiones occupaverunt?
- X. Quid fecerunt Romani ad Vicum adventi?
- XI. Qualem regionem praeferunt Romani ad vitam agendam?

### III. PLVRA DE CASIS NOSTRIS

- XII. In Gallaeciam unde venerunt multi populi?
- XIII. Qualis est species habitationum Gallaecarum a maioribus traditarum?  
Vel, si praefertis, quam formam habent casae a maioribus traditae?
- XIV. Quot casas unaquaque familia possidet?
- XV. Quid conspicere possumus in mediam casam adeuntes?
- XVI. Quid est in medio tecto casarum?
- XVII. Quae utensilia invenire possumus in casa Gallaeca?
- XVIII. Vbi peragunt maximam vitam Gallaeci homines?
- XIX. Ecquid dicas de caeli Gallaeci natura?
- XX. Cum familiares nocte conveniunt, quid faciunt antquam dormitum eant?

### VIII. Indagationes

- I. Migrationes, peregrinationes vel tantum itinera Romanis aliena non sunt. Quomodo iter faciebant Romani? Quibus vehiculis vehebantur? Per quas vias ibant?



Viae Romanae Antiquae in Gallaecia: [Mapa - Viator-e \(icac.cat\)](#)

- II. Potestisne aliquid indagare de utensilibus domesticis Romanis?

## IX. Indagationes etymologicae

Quaerite nunc Hispanicorum verborum significationem et Latinam originem:

*parvedad, munición, ladino, domicilio, villano, magnitud, notable, lapidario, rotativo, canino, felino, apelación, gentilicio, circular, convento, gesta.*

# NOTITIA ANTIQVITATIS IV

## DE COQVO APICIO



Coquus in culina

Re vera nescimus quis Apicius auctor fuerit. Habemus tamen opus sub titulo *Apicii vel De re coquinaria libri X* in quibus maxima Romanorum existimatio et curatio de *gastronomia* videtur.

Mementote, verbum Graecum *gastronomia* simile atque Latinum *res coquinaria* vel *culinaria*.

*De re coquinaria libri X* pleraque praecepta sunt ad optimos cibos parandos servandosque. Videamus horum praeceptorum aliquot.

Si caro salsa est:

Carnem salsam dulcem facies, si prius in lacte coquas et postea in aquam.

Si vultis pisces frictos diu durare:

Eodem momento quo friguntur et levantur, ab aceto calido perfunduntur.

Praeceptum de moreto:

Mentam, rutam, coriandrum, feniculum, omnia viridia, ligusticum, piper, mel, liquamen. Si opus fuerit, acetum addes.

Quaerite tandem qualia condimenta moreto utilia sint.



Caro assa



Pisces fricti

# LINGVA LATINA HODIERNA II

## Vbi habitamus?

Si quis vobis rogat “ubi habitas?”, vobis licet nomen regionis vel civitatis dicere. Sed haud dubium est quin omnes et in habitationibus habitamus.

Ergo, quid est *habitatio*? Habitatio certe est locus ubi res bonaque nostra habemus. Habitatio est domus, villa, insula.. Immo casa est habitatio! Et palatium regum est! In habitationibus pernoctamus et ibi ab inclementia tempestatis nos protegimus. Aliquotiens cum aegri sumus a mane ad vesperum sub tecto manemus habitationis nostrae.

Nunc hoc animo fingite. Aliquis forte vobis rogat “ubi habitas?”. Quid respondeatis?

- In domo habito... id est, in habitatione urbana familiae solae (*unifamiliari*). Hae domus in primis pedeplanae sunt.
- In villa habito... id est, in habitatione rurali. Hae villae magnae sunt et agrorum laboribus aptae.
- In insula habito... id est, in aedificio pleno habitationum vicinorumque. Insulae tabulationes habent.

Sed interlocutio progreditur. “Quot tabulationes insulae tuae sunt?” vobis rogant. Tunc sic numerum tabulationum respondere potestis.

- I = una tabulatio (habitatio pedeplana est)
- II = duae tabulationes
- III = tres tabulationes
- IV = quattuor tabulationes
- V = quinque tabulationes
- VI = sex tabulationes
- et cetera.

Et dicere etiam potestis, sultis <sup>31</sup>.

- Habito in pedeplana.
- Habito in secunda tabulatione.

---

<sup>31</sup> *sultis* = si vultis

- Habito in tertia tabulatione.
- Habito in quarta tabulatione.
- Habito in quinta tabulatione.
- Habito in sexta tabulatione et cetera.

De habitatione vestra dicere plura potestis. Nonne respondere audetis?

- Suntne fenestras in habitatione tua?
- Tinnitne tintinnabulum ianuae tuae?
- Habesne *telephonum* in habitatione tua?
- Ex quot conclavius habitatio tua constat?
- Habesne culinam magnam an parvam?
- Estne tibi cubiculum, in quo nocturno tempore dormire soles?
- Estne tibi armarium, in quo vestimenta calceamentaue sunt?
- Qua supellectile medianum est instructum?
- Suntne in mediano sellae et mensa e pegma librarium?
- Habesne etiam lampadem *electricam*?
- Suntne tibi etiam *radiophonum* et *televisorium*?
- Estne in habitatione tua *machina lavatoria*?

## APPENDIX GRAMMATICALIS

Paulum de numeralibus videamus.

| NVMERALES (I-X) |                 |                                                |
|-----------------|-----------------|------------------------------------------------|
| LITTERAE        | CARDINALES      | ORDINALES                                      |
| I               | unus, una, unum | primus, -a, -um                                |
| II              | duo, duae, duo  | secundus, -a, -um <i>vel</i><br>alter, -a, -um |
| III             | tres, tria      | tertius, -a, -um                               |
| IV              | quattuor        | quartus, -a, -um                               |
| V               | quinque         | quintus, -a, -um                               |
| VI              | sex             | sextus, -a, -um                                |
| VII             | septem          | septimus, -a, -um                              |
| VIII            | octo            | octavus, -a, -um                               |
| XI              | novem           | nonus, -a, -um                                 |
| X               | decem           | decimus, -a, -um                               |

Notate ut aliquot numerales declinentur.

|             |                 |                       |            |
|-------------|-----------------|-----------------------|------------|
| Nominativus | un-us, -a, -um  | du-o, -ae, -o         | tres, tria |
| Accusativus | un-um, -am, -um | du-o, -ae, -o         | tres, tria |
| Genetivus   | un-ius          | du-orum, -arum, -orum | trium      |
| Dativus     | un-i            | du-obus, -abus, -obus | tribus     |
| Ablativus   | un-o, -a, -o    | du-obus, -abus, -obus | tribus     |

# FABVLAE LATINAE FACILES APVD IGNEM LARARIVM AVDIENDAE II

## RESTIS IN ANGVEM MVTATA <sup>32</sup>


Quodam die dominus quidam, non dubio magus, iter facere constituit ut totum orbem terrarum cognosceret. Cepistisne? Hic dominus totum **orbem terrarum** peregrinans cognoscere voluit, nam homo dives et nondum senex erat.

Cum dives esset, pretiosus thesaurus ei erat, qui auri nummorumque plenus erat. Similiter, cum dives esset, servus ei quoque erat.

Ad iter faciendum, duo consilia dominus sibi adhibet. Primum, in horto suo sub terram thesaurum deponere, deinde cum servo suo per omnia maria nota navigare.


Cum dominus de thesauri praesidio cogitaverat, hortum furtim intravit et sub terram thesaurum misit reste ligatum. Tunc dominus, sortilegus velut incantator, occulte dixit:

“Restis nunc es, dehinc anguis **eris**,  
sed si quis formam antiquam recuperare **voluerit**, tria  
oscula tibi **dabit**.”



Anguis super thesauro

Servus autem **callidissimus** haec verba secretus audivit. Cum iam dominus servusque in **portu** essent, servus se nescio quid oblitum esse dixit et domum



Orbis terrarum



Dives homo cum  
servo

*eris* tempus futurum  
*voluerit* tempus futurum  
perfectum  
*dabit* tempus futurum

*callidissimus* superlativus  
e *callidus*

*portu* ablativus singularis  
e *portus*

<sup>32</sup> Fabula recepta a Cuevillas et Bouza Brey in *Prehistoria e Folklore da Barbanza*. Nós. Ourense 15/IV/1928, pl 72.

revertit. Se brevi tempore rediret. Sed hora initii navigationis adfuit et navis sine servo traiectionem incipit.

Domum cum servus advenisset, in horto thesaurum petivit, sed pro thesauro magnum terribilemque anguem invenit. Nunc mihi dicite, carissimi amici, quid **facturus est** servus? Ecquid creditis? Divinatisne?

*facturus est* = faciet, id est  
*facere* in futuro

Dicam vobis. Servus anguem minantem **temere** appropinquat, cui quidem **osculum fert**. Videretis tunc anguem humi se torquentem maxime iratum. Deinde servus angui alterum osculum fert, sed fera servum convolvit amplectens, scelus anhelans.

*temere* = sine metu

*osculum ferre* = osculari,  
basiare

Tunc demum anguis tertium osculum a servo accipit, cum statim restis denuo fit. Servus tandem thesaurum arripit et evolat. Quo servus ierit nemo scit. Sic cum dominus multo post tempore domum venisset, nulla vestigia thesauri servique invenit.

Ita finem damus fabulae.

### Quaestiones ad comprehensionem narrationis confirmandam...

- I. Quid constituit dominus quidam olim?
- II. Eratne dives an pauper dominus ille?
- III. Eratne senex an iuvenis?
- IV. Quomodo dominum divitem esse cognoscere possumus? Vel quomodo de domini divitiis scimus?
- V. Quid consuluit dominus ad iter faciendum?
- VI. Quid in horto fecit dominus?
- VII. Quid resti dixit dominus quia magus erat?
- VIII. Qualis erat servus et, audito domino in horto rupi loquente, ecquid fecit?
- IX. Cur navis sine servo traiectionem incipit?
- X. Quid in horto servus invenit cum domum advenisset?
- XI. Ecquid fecit servus angue minante? Vel quomodo servus angui finem dedit? Vel, si vis, quot oscula anguis accepit?
- XII. Cum anguis denuo restis fit, quid fecit servus?

XIII. Ecquis ubi nunc habitat servus scit?

**BAVCIS ET PHILEMON IN ARBORES MVTATI** <sup>33</sup>

Publius Ovidius Naso in *Metamorphoseon* libris XV mirabiles mutationes narrat. Audite **excerpta**, si vultis, de Baucide Philemoneque.




Sera

adeunt locum requiemque petentes et mille domos claudunt serae <sup>34</sup>.

Tamen una domus tandem eos recipit, parva quidem, stipulis et canna palustri tecta. In illa casa Baucis anus senexque Philemon **consenescent** et **paupertatem** suam levem faciunt aequa mente ferentes.



Domus stipulis  
et canna  
palustri tecta




Lineamenta  
craterae depicta

Vbi **caelicolae** parvam humilemque domum intrant, senex Philemon **membra relevare** eos iubet posito sedili. Baucis in foco tepidum cinerem dimovet et ignes suscitatur. Baucis et Philemon omnia bona sua offerunt. Adcubant dei qui cibos edunt et vinum bibunt, sed, mirabile dictu, cum vinum haustum est, cratera sponte sua denuo repletur.

Baucis et Philemon, attoniti novitate, pavent et precantes veniam miseris **dapibus** orant. Vnicum anse-

*excerpta* (n. pl.) = frusta, fragmenta

*stagnum* = lacus  
*tellus* = terra  
*palus* = lacus



Colles et  
montes

*consenescent* = veteres paulatim fiunt  
*paupertas* ant. *divitiae*

*caelicolae* = dei (di) qui caelum incolunt  
*membra relevare* = requiescere



Sedile vel locus  
optimus ad  
sedendum

*dapes* (pl.) = cibis

<sup>33</sup> Excerpta aptata a P. Ovidii Nasonis, *Metamorphoseon* libro VIII, v. 620 ss.

<sup>34</sup> *Serae* similes sunt eis instrumentis quae vos *candados* vel *cerrojos* appellatis. Pictura collecta a [Curiosidades del mundo antiguo: candados romanos \(arcana-mundi.blogspot.com\)](http://Curiosidades del mundo antiguo: candados romanos (arcana-mundi.blogspot.com)).

rem habent quem dis hospitibus mactare parant. Anser timidus celeriter anum senemque eludit et tandem ad ipsos deos confugit. Sed superi necem vetant dicentes:



Anser ante lacum

“Di sumus et vobis immunitatem damus dum vicinia vestra **meritas poenas dat**. Modo vestram domum relinquit et in ardua montis ite!”

Statim **parent** ambo. In alto monte stantes **oculos flectunt** et mersam palude regionem prospiciunt. Tantum sua tecta manent.

Dum **fata** suorum **deflent**, illa parva vetusque casa in templum vertitur. Tunc Saturnius rogat: “Ecquid optatis?” Baucis Philemonque dicunt: “Esse sacerdotes **delubra**que vestra tueri poscimus in vita et exspirationis in hora ambo simul moriamur”.

Annis igitur soluti, frondere Philemona Baucis et Baucida Philemon conspiciunt, dum mutant ambo in tiliam alia, alius in quercum.



Tilia et quercus

*meritas poenas dare* = poenas solvere, id est, damnum compensare


*parent* = oboediunt

*oculos flectunt* = oculos vertunt vel retro vident

*fata* = designationes supra divinas quae vitas humanas adficiunt

*deflent* = lacrimant, plorant

*delubra* = templum



## Quaestiones ad comprehensionem narrationis confirmandam...

- I. Quis mirabiles mutationes narrat de Baucide et Philemone?
- II. Vbi gentium tilia et quercus sunt?
- III. Quid est nunc pro tellure habitabili antiqua?
- IV. Mille domos adeuntes, quid petunt Iuppiter et Mercurius?
- V. Qui senescunt in humili casa, stipulis et canna palustri tecta?
- VI. Cum caelicolae parvam domum intrant, quid faciunt Philemon et Baucis?
- VII. Quid accidit cum vinum haustum est?
- VIII. Quid orant precantes Baucis et Philemon attoniti?
- IX. Anseremne mactare parant anus senexque?
- X. Quid facit anser timidus?
- XI. Quid dicunt superi tandem?
- XII. Parentne dis et Philemon et Baucis?
- XIII. Quid conspiciunt ambo in alto monte?
- XIV. Vertiturne in templum casa Baucidis Philemonisque?
- XV. Ecquid optant anus senexque?
- XVI. Annis soluti, quomodo mutant et Baucis et Philemon?

### FABULA DE ANTELA PALVDE <sup>35</sup>

Fuit olim urbs antiqua nomine Antiochia <sup>36</sup> ubi nunc Antela <sup>37</sup> palus est. Cives Antiochenses **finitimos** populos opprimebant et eos non miserabantur. Voluit igitur Deus <sup>38</sup> Antiochenses **punire**, sed Dei filius, et ipse Deus, Iesus Christus iustos homines integros **servare** voluit.

*finitimi* = vicini

*punire* ant. praemiare  
*servare* ant. condemnare

---

<sup>35</sup> Fabula recepta a X. Taboada Chivite in *Las leyendas de la laguna de Antela*. Cuadernos de estudios gallegos. Tomo XXIV, fasc. 72-73-74. 1979, p. 354.

<sup>36</sup> Haec Antiochia mytica urbs est. Dicendum est tamen Antiochiam antiquam Syriacam fuisse, opulentum caput provinciae Syriae Romanae. Hodierno tempore, Antiochia in Re publica Turcica est.

<sup>37</sup> Locus ubi Antela palus olim erat nunc terrae laborandae sunt, postquam aquarum deductionem imperatam quae paludem siccavit.

<sup>38</sup> Scilicet, Deus Iudaicus.



Mendicus *eleemosynam*  
precans in via

Tunc Iesus Antiochiam intrat mendici specie. Omnes domus visitat a misericordibus *eleemosynam* precans, sed nemini occurrit qui tantum “Deus tibi sit” dicat. **Maerens**, dum Caelum redit, casam pauperem humilemque a **quercubus** circumdatam conspicit.

Ad focum anus quaedam misera intus in casa sedet. Iesus intrat et “Eleemosynam precor” inquit. Tum anus “Veni, **sis**, intus”, inquit, “quisquis es”, et Iesum membra laborum levare iubet apud ignem lararium. Tunc caprinum lac ei offert cum crusti frusto. Ad solem occasum Iesui licet accubare in pauperrimo anus lecto ubi totam noctem dormit. Prima luce, Iesus anui narrat quid Antiochiae accidisset.



Solis occasum

**Miratur** anus cum locum ubi Antiochia fuisset oculis petit. Ibi nunc est palus sub qua urbs Antiochia iacet. **Civitate submersa**, nemo praeter anum superest. Ante-

la illi paludi nomen est.

Nunc Sancti Iohannis die <sup>39</sup> a primo mane sub liquida palude resplendente *ecclesiae campanarium* conspicere potestis et Natalis Christi die <sup>40</sup> gallorum Antiochensium media nocte cantus auditur <sup>41</sup>.

*maerens* = maestus, qui est  
vel iacet in maerore  
*maeror* = tristitia

*quercubus* abl. e *quercus*;  
silva quercuum =  
roboretum

*sis* = si vis, quaeso



Caprinum lac et  
crusti frusto

*miratur* = stupet rei  
inopinatae causa

*civitate submersa* = civitas  
sub aqua



Ecclesiae  
campanarium

<sup>39</sup> Id est, in solstitio aestivo.

<sup>40</sup> Id est, in solstitio hiberno.

<sup>41</sup> Christiani missam XXV decembris media nocte habitam (vel a. d. VIII kal. ian.) *missam Galli* appellant. Ceterum, Christiani Natalis Christi eodem die atque pagani Solis Invicti celebrant.

## Quaestiones ad comprehensionem narrationis confirmandam...

- I. Vbi fuit olim urbs antiqua? Quid ei nomen fuit?
- II. Quid fimitimis populis Antiochenses faciebant?
- III. Quid Deus voluit et quid voluit eius filius?
- IV. Qua specie intrat Iesus in Antiochiam?
- V. Quot misericordiis occurrit Iesus Antiochiae <sup>42</sup>?
- VI. Dum Iesus Caelum redit, quid conspicit?
- VII. Quid facit anus mendicum videns?
- VIII. Quid accidit Antiochiae?
- IX. Quo die anni videre potestis sub aquis Antelae ecclesiae campanarium?
- X. Quo die anni audire potestis sub aquis Antelae gallorum Antiochiensium cantus?

## NOTITIA ANTIQVITATIS V

### CHRISTIANI IN GALLAECIA



DEO LARI BEROBREO  
ARAM POSVI  
(PRO SALVTE)

Vt saepe dicitur *in nocte temporum* origo **cultus deorum** est. **Naturam** enim **rerum**, quarum causas ignorant homines, dis deabusque statim attribuunt. Sic in antiquis religionibus, quoniam multae naturae res inexplicabiles sunt, di multi sunt.

*in nocte temporum* = luce increata, id est, antiquissimis temporibus

*cultus deorum* = religio

*natura rerum* = qualitas *phsica* rerum

Qui igitur sunt di? Summatim dicamus deos velut homines superos immortalesque esse qui ultra orbem terrarum habitant quique mortalibus potentiores sunt <sup>43</sup>. De natura deorum **philo-**

*philosophi* = homines verum identidem indagantes

<sup>42</sup> *Antiochiae* hic in casu locativo est, locum ubi aliquid accidit monstrante.

<sup>43</sup> Verum in religionibus *animistis* nuncupatis, di deaque diversas naturae sedes colunt, velut arbores aut flumina, hominibus proximi ibidem habitantes quamquam vix conspicui (= haud faciles visu).

**sophi** haud paulum discrepant, sed omnes paene deos esse adfirmant.

Antequam Romani Gallaeciam occupaverant, hic plurimos deos aborigines esse <sup>xiii</sup>. Romanorum adventu religionibus Gallaecis alios deos addit quos Olympicos appellamus. Tandem inde a III saeculo a. D. nova religio in Gallaeciam intrat Christianorum gratia.

Nescimus ad amussim quando Christiani in Gallaeciam adveniunt, sed hic ventis nusquam exierunt. Plus quam milia annorum Christiani Gallaeciam habitant... Unaquaeque urbicula, unusquisque pagus, habet saltem suam parvam *ecclesiam*. Pleraeque quidem antiquissimae sunt, *stylo Romano*.

Fuit in Gallaecia antiquis temporibus homo quidam Piscilianus nomine. Gallaecus fuisse dicitur, sed incertum est verumne an non. Nobilis natu fuisse, **ordinis senatorii** vel forsán **decurionum**. Mortuus est **poena capitis** in Augusta Treverorum CCCLXXXV a.D, crimine maleficii accusatus.

Dicendum quidem est maleficium magarum artium usus esse. Malefici homines veneficiis, incantamentis, fascinationibus strigarum propriis utuntur. Sed, re vera, Historia falsorum maleficii reorum plena est, nam, certis sub condicionibus, facilis damnatio si fanatici furiosi alicuius vitam finire volunt.

Una cum Christiana religione *haereses* surgunt. Quid de haeresibus dicamus? Cum primum homines, alieni a sincera religionis doctrina, ab *orthodoxa* cogitatione differunt, haeretici fiunt. Sic igitur usque ad mortem saepe **vexantur**.

Priscilianus, novis disciplinis **favens**, ecclesiam Christianam denuo constituere vel regenerare videtur.



Iuppiter in imbris  
fulminibusque

*ecclesia* est grex  
Christianorum et locus  
eorum congregationum

*ordo senatorius* = nobilitas  
Romana  
*ordo decurionum* =  
nobilitas loci propria

*poena capitis* = vitam pro  
scelere dare, id est,  
poenam vita solvere



Homo suspectus  
maleficii

*vexantur* = eos  
(haereticos) consecantur  
vel persequuntur

*favens* = qui favet vel  
favorem offert

Mortuo Prisciliano, **sectatores** duo saecula supersunt, sed  
mox e conspectu Historiae abeunt.

*sectatores* = qui aliquem  
sequuntur velut ducem

Ecquid plura de Prisciliano discere potestis? Vultisne  
vestigare de aliis haeresibus?



Recreatio quae monstrat servos crucifixos,  
picta a Fiódor Andréyevich Brónnikov (MDCCCLXXXVII a.D.)  
Fons: Vicipaedia

---

# NOTAE AD AMPLIVS SCIENDVM

<sup>i</sup> Cum alicuius nomen Latine rogamus, sic dicimus: *Quid nomen est tibi?*, vel *Quid est tibi nomen?*, vel *Tibi est quod nomen?*, etc. (Sunt quidem diversae verborum ordinis variationes acceptabiles). Tunc respondeatis: *Mihi nomen est ... vel Ego sum...*

Aliis modis indagare poteritis *identitatem*, ita rogando: *Quis tu es?*, *Quomodo te appellant?*, *Nomen tuum estne quid?* Deinde quaeratis, si curiositas vos mordet vel pungit: *Vnde venisti?*, *Quae patria tua est?*, *Qui parentes tui sunt aut fuerunt?*, *Quam originem familia tua habet?*

Moribus institutisque maiorum, Romani tria vel amplius habuerunt nomina. Primum nomen re vera *praenomen* dicitur, alterum proprie *nomen*, tertium *cognomen*, alia plura *agnomina*. Exempli gratia: *Publius Cornelius Scipio Africanus*.

<sup>ii</sup> Si alicuius aetatem cognoscere vultis, rogate: *Quot annos natus es?* Respondere vobis licet, si rogamini: *(II, III, IV ...) annos natus sum*.

<sup>iii</sup> Roma plus quam magna urbs est. Roma re vera magna republica *autarcha* est. Itaque dicere potestis Romam maximo imperio omnem orbem terrarum notum possidet. Cives, peregrini, servi, omnes homines nisi barbari Romae imperio submittuntur. Summatim breviterque dicam: Roma non est tantum urbs civitasve quantum *modus vivendi*.

<sup>iv</sup> Nostisne quomodo Romani annos inscribamus? Summatim exponam. Aut dicimus annum a quo Roma condita est aut dicimus nomina consulum qui eo ipso anno rexerunt. Nunquam igitur dicimus annum a quo Dominus Christus natus est. Qua re? Etiam nunc cives Romani plerique Christiani non sumus, quamquam Christiani quidem in omnibus partibus imperii iam se habent.

<sup>v</sup> Prima antiquitate *oppidum* urbs fuit barbara vel peregrina. Olim in oppido vixerunt non cives Romani, sed Celtae, Germani, etc. Nunc omnia oppida in agro Romano ius Romanum habent et omnes incolae cives Romani sunt.

---

vi *Castrum* sive *castellum* est tamquam arx vel locus munitus ubi populi habitant haud magno periculo. In Gallaecis *castris* diversa aedificia sunt, in quibus domus publicae privataeque, templa, horrea aut balnea exstant.

vii Futuri scholares de urbiculae nostrae nomine in dubio erunt. Estne *Vicus* antiquum nomen? Estne *Vicus Spacorum*? Estne *Vicos Pacorum* an *Caporum*? Estne tantum *Vico*? *Vico Groviorum*? *Vico Hellenorum*? Haud facile erit nosse. Multae hypotheses in saeculis XIX, XX et XXI surgent. Alii negabunt *Vicum* esse tempore quo Romani regnabant. Alii quidem recentiores *Burbidam* nomen attribuent. Sed haud dubium est tamen quin urbicula nostra nomen antiquae originis habeat.

In viatorum libris, quos *Itineraria* consue te nominamus, haud pauca locorum nomina legetis quorum situm ignorabitis. Inter alia *Burbidae* nomen est. Apparet enim in *Itinerarii Antonini* via XIX, a Bracara usque ad Asturicam per oram maris.

Nostro aevo, dicere oportet, *Vicus* duas partes quam minime habet. Superior pars tamquam arx conspicua *Castrum* est, inferior pars *vicus*, vel potius dicam, *vici* ad litus adsunt. Futura nomina, quae bene scitis, vobis Latine dicam, quamquam ficticia phantasticave sonent. Ad pedem montis Castri loci diversi siti sunt iuxta mare: Ora maris, Berbes, Lagen, Consortium Nauticum Regale et Arenaria.

viii Vsque ad aevum ferreum casae lapides solas in basi parietum habebant et parietes muri e lateribus crudis erant.

ix Montis nomen vestris temporibus usitatus *Castrum* erit. Aliud nomen autem fere oblitum *Ferosus mons* est. Et alia nomina penitus oblita erunt.

x Antequam Romani in Gallaeciam advenerunt, populi indigenae vias et cloacas noverant. Verum Romani formam urbanam valde recognoscibilem fecerunt, viis et cloacis imprimis adstantibus.

xi Diversae urbes sunt sub imperio Romano. Diversae urbium qualitates atque proprietates sunt. Non omnes omnia possunt. Roma prima civitas caputque mundi est. Deinde coloniae Romanae veniunt, tunc municipia, urbes foederatae, stipendiariae, libera oppida, etc. Haec in primis inter ea differunt iuris populorum gratia.

---

Si Romani coloniam condunt, aptum locum quaerunt. Multas condiciones perpendunt. De aliquibus condicionibus vobis mentionem faciam: situm, propinquitatem fluminis vel maris, divitias terrarum, faciles aditus, difficultatem hostibus expugnantibus, etc.

<sup>xii</sup> Bandualis tempore, pleraeque casae ignem lararium apud parietem habent quod pleraeque casae quadratae sunt, more Romano. In casis quadratis quam in rotundis dispositio spatii facilior est.

<sup>xiii</sup> Bene scimus deos aborigines adfuisse, antequam Romani in Gallaeciam advenerant. Exempli gratia, sanctuarium deo Lari Berobreo dicatum consecratumque prope pagum Donon in promunturio Homine appellato. In populis aboriginibus, commune nomen ad deos tutelarios appellandos, non solum familiari domo sed etiam in pagis urbiculisque, Lar probabiliter fuit. Sic Berobreus epithetum Laris esse potest a *toponimo* \*Berobris (ita Blanca María Prósper videtur), scilicet, Berobreus *Berobris* incolarum deus tutelaris est. Sed, ut accidere solet, plurimae sunt *theoriae* ad hoc.